

VNA FIDES
RELIGIONIS
ASSERTORES.
Tutela Hispaniæ
CLYPEI
PENDENT
MILLE
ALEXANDRINA
SACELLV REGIVM
HOC EST
DE CAPELLIS ET CAPELLA
NIS REGVM
LIBER SINGVLARIS
CVM notis perpetuis pro Capella
AVLÆ HISPANÆ
D. VINCENTII TVRTVRETI SICVLI
& Philippi Regis Hispaniarum
CAPELLANI
AD
ILLMVM ET RMVM D. ALPHONSVM
PERESIVM GVZMANTVM
Eiusdem Aulæ summum
CAPELLANVM
CAR. V.
VIGILES
Matriti. Apud Franciscum
Martinez. Ano 1630.
PHILIP. IIII.
CVSTODES

# ILLVSTRISSIMO
## ET R^MO PRINCIPI
## D. ALPHONSO PERESIO GVSMANIO
### INDIARVM PATRIARCHÆ, TYRI ARCHIEPISCOPO, SVMMO AVLÆ HISPANÆ SACELLANO.

NAM cui potiùs (niſi ſi prævaricari libuiſſet) Sacellum Regiũ conſecraſſem, quàm Summo eiuſdẽ Moderatori? *Solvo quod debeo*, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, & *adhuc debeo quod ſolvo.* Et ſi voluiſſem de more omnium Scriptorum in ſplendida quæque nomina involare, unde luculentiùs meis ſcriptis lucem & tutelam comparaſſem, quàm ab ſplendidiſsimo Stemmate GVSMANIO Ducũ Medinæ Sidoniæ; quorum ſobolem præclaram

te nostræ sodalitati Palatinæ Antistitem datum plaudentes gratulamur? Ad hæc ut tractationem de re sacra tibi nuncuparem animos fecêre religio, pietasque tua, & cætera, quæ in te congessêre Deus, hominesque ornamenta: inter quæ Comitatem in primis, & Bonitatem hæreditariam exosculamur. His motus PHILIPPVS IV. Regũ MAXIMVS ad Aulam te evocavit, ut in ea sacrorũ Princeps sacra domestica procurares. Quâ sacrorum procuratione nihil non ritè agitur Catholico & Romano instituto: omnia solennia statis cæremonijs servãtur. Cùm aliquid *commendandum* est *Precatione*: cùm *exposcendum Voto*: cùm *solvendum Gratulatione*. Nullum erit in Republica Ecclesiastica vel eminentissimum honoris culmen, quod tã pervigil rei divinæ administratio (quã nos Sodales Palatini ad exemplum & miraculum intuemur) bonis plaudentibus non accedat. Quamvis licèt si ipsa purpura tibi offerretur, exciperes purpuram, ut doceres usum, non duceres fastum: quod utinam sit tam proximum candidissimis meis votis, quam debitum tuis meritis amplissimis.

intereà meum Sacellum Regium tuere inchoatum tuis auſpicijs, & ijſdem abſolutū. cuius frontē *de titulo* tanti Præſulis *munivi* ex ſententia Auguſtini: *Vt cùm titulus lectus fuerit, conterritus quis potentia nominis, abſtineat ſe ab invaſione.* Vale ILLVSTRISSIME PRINCEPS. Madriti VI. Idus Septembris, die Natali VIRGINIS DEIPARÆ, & anno ſalutis reſtitutæ M.DC.XXX.

*D. Auguſtinus in Pſal. 21. expoſ. 2.*

Deditiſsimus D.T.

Illuſtmæ

*Vincentius Turturētus.*

# AD
# HENRICVM FRATREM
OLIM
IN SVPREMA CVRIA SICILIENSI,
NVNC
IN SACRO CONSISTORIO
REGIS CONSILIARIVM.

CVM absentiam tui, HENRICE FRATER, perquàm molestè feram (decennium ferme est cum Panormo felici urbe discessi) ut hoc desiderium si non tollere, mitigare saltem ex parte valeam, transmitto tibi meum Sacellum Regium: quod tu, scio tanquam ex me natum partum amplectêris. Illum mihi ipse substituo assuto hoc quicquid est, epistolæ; ut mihi etiam ipse blãdiar, teq; sermone vicario compellem: nec tertius iste otij mei fœtus debuit non ferre tuum nomen, Frater amantissime, qui mihi ad studia excolenda auctor semper, hortatorque extitisti; re, consilioque iam inde à puero humaniter iuvisti: ego argumentum cui meam operam locarem feliciùs non inveni. Volui, si potui, Sacellum Regis nostri Augustissimi hac scriptione demerere. Tibi promerere de bono publico datum est præclariùs, in hoc præsertim munere, quod sustines cum maximo dispendio rei privatæ. Cùm enim supremæ Curiæ Exiu-

cex (ita fert politia Siciliensis) iterum in agendis causis versareris;& advocationis studium tibi esset palmarium (si te Iurisprudentiæ alumnum appellavero, nõ mihi succensuerit, qui noverit, à quo fonte largiter hauseris) unde messem auream colligebas, sed manu purâ, & purâ conscientiâ: eaque vitæ esset integritas (domi etiã habuisti unde disceres, & rectam honestæ vitæ formulam mutuareris; in * Avunculi clarissimi modestiam & virtutem succrevisti) quam viri gravissimi iudicio cẽsorio testantur, idque non lateret Ordinem Amplissimum Supremi Italici Consilij, adhuc tamen auctor fuit Regi nostro potentissimo, ut in Sacro Cõsistorio assideres. Voluêre Senatores integerrimi negotium publicum ageres, quod iusti rerũ æstimatores magnifaciunt; sciebant gentilitium esse in nostra familia potiora haberi publica privatis. Et planè hoc verè est Reipublicæ commoda procurare, si ex gesto Magistratu nulla utilitas redundet (quid si dispendia emergant?) quam pusillus animus attendit. ad quod præstandum si te vellem magis impellere, destitutus mẽte essem. Ad ea enim quæ Regi & Reipublicæ conducunt, ardentem te, erectumq; scio. Vnde *esto Innocentiæ templum, Temperantiæ sacrarium, ara Iustitiæ; Pro Principi sub quodam sacerdotio serviatur.* Sed epistolam consigno voto tuæ incolumitatis, quam à Deo ter Maximo tibi precor continenter. Matriti Kalendis Septembris anno CIↃ IↃCXXX.

* D. Ioseph de Neapoli in Supremo Italicarũ rerũ Senatu Siciliæ Regentis.

*Cassiodorus lib. 1. epist. 12.*

V. T. Expli-

# Explicatio figuræ æneæ.

*QVI figuram æneam positam in fronte Libri penitus non inspiciet, non Sacellum Regium illam dicet, sed Castellum. Castellum est, non diffiteor, & Regium: sed desumptum ex clypeo Castellæ, quod volui esset Typus Monarchiæ Hispanæ-Austriacæ: quæ universa etiam quid est aliud quàm Sacellum, hoc est locus sacer Deo consecratus, cùm in tā lato dominatu* VNA FIDES *pura, & puta excolatur. Hinc Fidem ipsam in eminentiore Turri considentem Leones coronati, Legionis insignia,* RELIGIONIS ASSERTORES *exertis gladijs circumstant: parati ad tuitionem, obsequentes ad propagationem. Sed Duce & auspice* TVTELA HISPANIÆ *Iacobo Apostolo: cuius vexilliferos esse Hispani Reges gloriantur. Clypeos quos hinc inde affixos vides, insignia sunt etiam aliquot ditionum, quæ in unam Monarchiam coaluere. Hinc* MILLE CLYPEI PENDENT EX EA. *Adamantina est hæc* armatura fortium, *tela vibrent adversarij obtusa, & plumbea experientur. Expressimus ad utrumque latus* CAROLVM MAXIMVM ET PHILIPPVM MAGNVM, *uterque Princeps fidem Catholicam, & quam manu gestat Sacram Synaxim supplex reveretur: quòd ab eodem cultu & veneratione sacrorum omnis ad familiam Austriacam emanat magnitudo, triumphi, Regna, ignoti orbes. Hoc denotant cælestes Genij, qui abs superiori tabellæ parte coronas, sceptra, palmas, laureas deijciunt.*

*Vides demum in Pronao & vestibulo, sive Sacelli seu Castelli Regij* VIGILES CVSTODES, *Leones inquam alacres, vegetosq. Quid expectas nisi sacrorum curam adumbratam? Sive eam quam Reges Catholici in orbe universo subeunt, vel cum iactura aviti patrimonij: sive aliam quam pervigilem observamus in D. Alphonso Peresio Gusmano sacris domesticis* PHILIPPI IV. *procurandis; cui Sacellum Regium Latinè factum dedicavimus: qui etiam Clypeum gentilitium gentis Gusmaniæ Leonibus & Castellis in orbem, & per oram habet incinctum? Porrò Leo vigilantiæ symbolū semper fuit, & ad hæc usque tempora usitatum; & præsertim ad denotandam sacrarum rerum religiosam curā. Idcirco Leones ad valvas templorum & ad sacra claustra: nec infrequentes in Pronais, & Hyperthyris.*

*Sed optavi peritiorem artificem, qui ad vivum mihi exprimeret Philippum Magnum, quod non effecit illius scalprum, suppleverit calamus Ennodij, qui in Panægyrico ad Theodoricum Italiæ Regem mihi visus est præ oculis habuisse meū Principem.* Statura est, *inquit*, quæ resignet prolixitate regnantem. Nix genarū habet concordiam cum rubore, vernant lumina serenitate continua. Dignæ manus, quæ exitia rebellibus tribuāt, honorum vota subiectis. Nullus intempestivè positum iactet, quia quod agunt in alijs dominis diademata, hoc in Rege meo operata est, Deo fabricante, natura. Illos faciunt tot divitiarum adiumenta conspicuos, sed hunc edidit simplex, & indemutabilis figura meliorem. *Hæc Ennodius. Sed ego necesse habeo alia præfari.*

*IVDI-*

IVDICIVM

# L^ti ALPHONSI CARRANZÆ

*Viri Politissimi, & Maiorum Gentium Iurisconsulti.*

EX decreto D. Ioannis Velasco & Azevedo Vicarij nostri generalis perlegi huncce SACELLI REGI Librũ, RE & NOMINE *singularem*: & plura quidem avidâ relectione, ut quæ recondita pollent eruditione, novè in lucem ab Auctore revocatâ. Dicam uno verbo, omnia sive iuridica, sive historica, sive philologa excelsa sunt τὰ μετέωρα: insigni nitore composita, aptâ collocatione adposita, eleganti eloquutione disposita, ECCLESIÆ veræ & ROMANAE dogmatibus adcinctia, bonis moribus, & CAVSÆ deniq; PVBLICÆ accõmoda. Quæ in causa, ut prælo debeat demandari in magnam rei litterariæ utilitatem: ita sentio Madridij 12. Octob. anni Salutaris 1629.

*L^tus Alphonsus Carrança.*

---

## APPROBATIO

*D. Ioannis Velasci de Azevedo Vicarij Generalis.*

LIBER iste, quantum in me est, potest imprimi, nec sine bono rei sacræ & litterariæ. Matriti 24. Octobris 1629.

*D. Ioannes Velascus de Azevedo.*

IVDI-

## IUDICIUM

### Lti PETRI FERNANDEZ NAVARRETE Sanctæ Inquisitionis Consultoris, à Sacris & à Secretis Catholicorum Regum, & Serenissimi Ferdinandi Hispaniarum Infantis.

VINCENTII TURTURETI Sacellum Regium, ita ingenij mei exilitas miratur, ut non facilè trutinare audeat, quo in genere magis excellat Auctor; ita enim Iurisprudentię fontes, Conciliorum decreta, sacrarumque Historiarum recondita vetustate arcana Tulliano stylo in publicum profert, ut eum Æquimanum iure optimo vocare possimus. Dignus ergo meo iudicio est Liber, ut de Celsitudinis vestræ licentia typis mandetur, quo fiet, ut quæ dispersa in varijs Auctoribus vix reperiuntur, in hoc uno congesta facilè inveniantur ac laudentur. Matriti die prima Decembris anno Domini millesimo sexcentesimo ac vigesimo nono.

*Ltus Petrus Fernandez Navarrete.*

---

## SUMMA PRIVILEGII.

CAUTUM est auctoritate Regia, ne quis intra decennium præter Auctorem Librum hunc imprimat, aut divendat: nec aliunde importet. Si quis secus fecerit, mulctâ mulctabitur, quam continet Regium diploma datum Matriti pridie Kalendas Maias anno 1630. subscriptum à Lazaro de los Rios Regis Secretario.

Errata

PAG.3.lin.1.B.num,cum. 5.13.A. metaphoricas, metaphoricãs. 8.20.A.doctos,dictos. ibid.2.B. Sunctorum,Sanctorum. 17.17.A.cærimonias,cæremonias. 27.10.B.quem,quam. 32.17.B.ipſa,ipſe. 36.l.4.A. exutam, exuctam. 41.23.A. Atylum,Aſylum.54.16.A.u, ut. ibid. 22.men,mens.23.Domeſtic. Domeſtici.59.6. B. inſulis, inſulis. 68.12.B.Breviarum,Breviarium. 74.6. A. cortinijs,cortinis.77.9.A.Capellano,Cardinali.89.18.B.irera,itinera. 96.23.B.ijſdem,ex ijſdem. 99.22. A. effutè, effusè.ibid.17.B.Agagas,Agapas.100.1.B. Gregorium, Georgium. 116.8.A.obedeant,obediant.124.16.B. cõſulam, conſulant.

Pag.73.lin.19.hæc mutanda, Iacobus Apoſtolus Hiſpaniæ Patronus, lege, Ioannes Baptiſta Præcurſor Domini.

*Leviuſcula, & quæ noſtros oculos fugerunt, Lectoris humanitas condonabit.*

Sic reſpondet Autog.apho. Datum Matriti die 12. Auguſti anno 1630.

*Lic. Murcia de la Llana.*

---

## *Suma de la Taſſa.*

ESTà taſſado por los Señores del Conſejo à quatro maravedis cada pliego, como conſta del teſtimonio que Lazaro de los Rios Secretario de ſu Mageſtad dio en Madrid en 29.de Agoſto de 1630.

VIRI

## *VIRI CLARISSIMI*
## *MARIANI VALGVARNERÆ*
### *Philippo IV. à Domesticis sacris, ad Auctorem & Sodalem.*

Χριστιαδῶν ἱεροῖο ἐνὶ μεγάροισιν ἀνάκτων
  Ἀμφιφέρεις ἀρχὴν θύματα καὶ προπόλους,
Νηοῦ σημάντωρ, κ᾽ αὐτὸς βασιλήϊος ἱερεὺς,
  Καὶ χρέος ἔνθεν ἑὸν, καὶ διδάσκει γέρας.
Τοὔνεκα καὶ μύσταις ἄλλοις κλέος ἐγγυαλίζει,
  Παρ δὲ σέθεν δέχεται ναὸς ἀνακτόρεος.

### Idem Latinè redditum.

*Christiadum in tectis Regum, quæ cura Sacelli,*
*Quæ sacra, quis flamen, quæ sit origo doces.*
*Delubri Antistes, ac Regius ipse Sacerdos*
*Hinc decora, hinc discit munera quisque sua.*
*Dant reliquis igitur nomen, famamq; Ministris,*
*Accipiunt à te Regia Fana decus.*

IN

# IN PRONAO SACELLI REGII,

## *AD LECTOREM ALLOCVTIO,*

De occasione & inscriptione operis,

ET

TRIA MONITA.

BIENNIVM elabitur, candide Lector, cùm manum admovi Sacello Regio. Et planè operi inchoato, propè tamen absoluto intra paucos menses tanquam fastigium imponere sperabam. Sed dum alia atque alia occurrunt, vel nova, vel quæ stylum remorantur, atque adorno editionem, & subinde illud cogito *sat citò si sat benè*, hoc, quod dixi, tẽporis effluxit. Porrò cum percurrerem acta veteris Ecclesiæ, scita Pontificum, Concilia Orthodoxa; imò avidè legerem, interlegendum quædam nec obvia, nec vulgata de Capellis & Capellanis Regum, & magnorum Principum non inventa reperiebam. Quæ mihi Aulico Sacerdoti nõ minus grata occurrebant, quàm homini rura peragranti flores, qui in media segete αὐτοφυῶς vulgò, ac varij internascuntur. Hæc

primùm in meis adverſarijs reponebam. Sed deinde cogitabam adhuc repertum eſſe neminem, qui de hoc argumento vel leviter egerit, nedum iuſtum commentarium confecerit. Intactam enim, quod ego ſciam, hanc tractationem reliquerunt ingenia noſtri temporis præclara; quorum nulla ætas fuit feracior. Hinc mihi meæ ſuſcepta vitæ ratio, hoc eſt, munus Sacellani Palatini facilè perſuaſit, ut huic ſcriptioni animum adijcerem, & ſimul congererem quicquid potuiſſem è vetuſtiſsimis Concilijs, & Auctoribus ſacris veſtigare, & faceret in ſplendorẽ huius argumenti (quod multis eruditiſsimis, quos meo conſilio participavi mirùm quantùm viſum eſt tenue, & ieiunum) ita enim fieret, ut & de mea ſodalitate benè mererer; & primus occaſione ſpicilegij de eodem argumento iuſtos manipulos colligerem.

Quæ tractatio proindè non ſolùm meæ, diverſæ etiam profeſsionis hominibus non ingrata accidet, ut ſpero. Quippè quæ vel profuerit, vel delectaverit: ſi non copiâ eruditionis & dictionis elegantiâ; certè novitate argumenti. Imò illis, ſi modò fuerint antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſi, ſacrorum Annalium memoriam refricabit. Et poterunt etiam ſi fuerint politicis addicti non pauca obſervare in Aulis geſta. Nec interea prætermiſi quicquid

quid vel iure communi, vel iure ſingulari de Capellis & Capellanis Regum invenitur conſtitutum. Sed pręcipuè duo illa intacta non reliqui: Exemptionem, inquam, Aulicorum Sacerdotum à iuriſdictione Epiſcopi Diœceſeos Principis: & veniam Aſsiduitatis, quam requirerent cætera, ſi quæ haberent, Sacerdotia. Quod attinet ad univerſam diſſertationē quicquid in ea legerint, erit hauſtum, ut innui, è ſacris Auctoribus (hiſce fontibus noſtrū hortulū irrigavimus) profani nihil, certè parum contulere. Nam in re ſacra quas ſymbolas cōferrent? Nihil etiam erit ἀμάρτυρος, id eſt, non teſtibus, ac fideiuſſoribus locupletiſsimis cōfirmatum: atque hæc de occaſione, utilitate & fide operis.

Quod ſpectat ad libri titulum, *Sacellum Regium*, illum inſcripſimus, ut Latinè loqueremur. *Regium* quidem; quia pertinet ad ædes & ſodalitates Palatinas Regum, & Magnorum Principum. *Sacellum* verò, quia è Latinis non habemus aliud nomen, quod propiùs accedat ad ædiculas, quas hodie conſenſu Scriptorum Eccleſiaſticorum *Capellas* dicere ſolemus. Sacellum enim & Capella maximè conveniūt, ſi ſpectemus quid de illo ſcripſerit Trebatius Iuriſconſultus libro 11. de Religionibus: *Sacellum*, inquit, *eſt locus parvus Deo ſacratus cum ara*: additque de origine vocabuli: *Sacellum ex duobus verbis arbitror*

*compositum, sacri & cella, quasi sacra cella.* Licet in hac notione Trebatius adversarium habeat Aulum Gellium, qui contendit *Sacellum* & simplex verbum esse, & non ex sacro & cella cōpositum, sed ex *sacro* diminutum. Ex alia verò parte *Sacellum* & *Capella* in eo differunt, quòd ex sententia Pompeij Festi lib. xvij. de verbor. significat: *Sacella* antiquitus dicebantur loca dijs sacrata, sed sine tecto. Hinc Ioannes Camers commentario in tabulam Cebetis Thebani rectè notat hanc differentiam, aitque his temporibus non omnino eadem esse, Sacellum & ædiculas, quas vulgò *Capellas* nominamus: quòd ratio & forma huius ædiculæ non postulet, ut sine tecto construatur. Sed idem Auctor videri potest parum constans, & sibimetipse adversari. Nam oblitus differentiæ antedictæ docet confidenter; eos, qui nostro sæculo *Capellam* pro Sacello usurpant, non indoctè facere; adeòque nedum non ineptè, sed ne frivolè quidem loqui existimandos esse; ut sunt eius verba: dum in eo commentario communem, & vetustum Ecclesiæ Catholicæ usum vocabula pro re nata innovandi ab ineptis, frigidisque quorundam Grammaticorum profanorum calumnijs, verè simul, ut ipse etiam loquitur, & piè vult vindicare. Verùm potest hic Auctor non difficilè excusari. Cùm primùm quod dixit, sit verissimū, si spe-

*Aul. Gellius lib. 6. c. 12.*

cte-

ctemus priſcum uſum & formam Sacelli; priſtinum etiam nitorem linguæ Romanæ: neque alterum cenſendum ſit abſurdum, cùm hac tēpeſtate conſenſio ſacrorum Auctorum; imò & quorundam è profanis non indoctis *Capellæ* vocabulum paſsim & libenter uſurpet ad denotandas ædiculas ſacratas. Aliud in quo fœdè eſt lapſus ſuo loco oſtendemus.

Sed prætereà ante ingreſſum Sacelli Regij tria Lectorem monitum volo.

I.

PRimùm digreſsiunculas quaſdam huic operi additas ab ipſomet diſſertationis argumēto eſſe profectas, non adoptivas, & aliunde accerſitas: cuius generis digreſsiones ſeſe paſsim, & ultro offerebant à nobis arrogandæ & adoptandæ, tantùm abeſt, ut eſſent à ſinu parentum abſtrahendæ invitæ & nolentes. Sed nolui cōmittere quod in alijs nō probo. Planè delectādi gratiâ licet digredi parumper à cauſa: ſed multi neſcio quod argumentum ſcribere aggreſsi, dum luxuriantem ſtylum non coërcēt; quàm longè, Deus bone! divertunt ab inſtituto: vel ſuſceptum opus rebus ad rem non facientibus ita infarciunt, & interpollant, ut tertio quoque verbo *exeat Vrceus*, dum expectas *Amphoram*. Ego cùm hæc ſcriberem, habui ob oculos præceptionem Plinij Iunioris: quâ cē-



ſuit

fuit primum officiū Scriptoris esse; *Vt titulum suum legat, atque identidem interroget se quid cœpit scribere.*

II.

Alterum quod moneo Lectorem est, hanc ipsam tractationem à me Hispanè etiam esse scriptam, ut morem gererem viris primoribus, & Palatinis. Sed in ea quædam omisisse, quæ quia notissima in hac Aula, Hispanè edita frigidiuscula apparuissent: foris verò non ingrata accident, ut spero, quò Latina editio pervenerit. hoc igitur nec tibi neque mihi fraudi sit.

III.

Tertium demum, quòd omnia ferè quæ in eadem tractatione adducuntur, ad Sacellum & Sacellanos Regis Catholici possunt attinere: licèt multa depromātur ex Aula Imperij Germani, & veterum Francorum Regum. Etenim quæ in notis dicuntur. Sacelli nostri Palatini sunt propria extra controversiam. Nec cætera sunt existimanda aliena, cùm in splendorē Monarchiæ Hispanæ, adeòque huius Aulæ conferant, quicquid decoris continent imperia antedicta. Nam ad Regem Catholicum sua ornamenta transmittunt per canales utriusvè prosapiæ Burgundiæ, & Austriacæ; quæ tot annos rei Germanicæ est potita. Adhæc vetus Francorum Regnum nō coarctabatur tam angustis li-

limitibus, quibus præsens Francicum dictum parum propriè. Illud enim præter Belgium, & Lotharingiam comprehēdebat etiam bonam Germaniæ partem: eam, inquam, quæ est inter Rhenum & Albim. Itidem Carolus M. è cuius rebus gestis nonnulla hîc transcripsi, nepos fuit Caroli Martelli Brabantiæ Ducis, & natus in oppidulo *Ingelheim* dicto prope Moguntiam, adeòque Germanus, non Gallus, ut iure illum sibi asserūt Theutonici Scriptores. Quid quòd Toletani Regis filiam uxorem duxisse testatur Iulianus, nec abnegat Cuspinianus: quam iste Galienam vocat, ille Gallianam; ex qua etiam ortum Ludovicum Pium, fuit quorundam opinio. Quamobrem sive spectes Castellæ Regnum, sive familiam Burgundicam, sive Imperium Germanicum, sive demum ipsum Francorum genus, a quo plerique docti Austriacam prosapiam derivant, omnia quæ scripsimus perbellè cadunt in Sacellum Aulæ Hispanæ, & Sacellanos Regis Catholici.

*Iulianus in Chron. ann. 970: & ait:* Fuisse ablutā sacro fonte à Cixilano Archiepiscopo Toletano.
*Cuspinian. in eiusdem vita*

# SACELLI REGII, &c.

# DELINEATIO.



*Aptantur iisdem locis notae perpetuae pro Capella Regis Catholici:*

*DEINDE,*

*Appenduntur tanquam in tholo Bullatae tabulae Pontificum, & Regum privilegia Aulicis Sacerdotibus favorabilia.*

*TVM.*

*Eruuntur ex vetustis monumentis aliquot Capellani quorum memoria interierat.*

SA-

# FACIES EXPRESSIOR, EX PERIOCHA CAPITVM.

## DE NOMINE

### CAPVT I.

1. *CAPELLA & Capellanus Latinobarbara. 2. Cappa quale vestis genus? 3. An capitis tegumentum? 4. Habitus maxime viri religiosi. 5. Vestis fuit expedita. 6. Cultus D. Martini in veteri Francorum Regno. 7. Illius cappa Regium vexillum, Regni Palladium. 8. Capellanus. 9. Capella ab eadem dicta? 10. Hesychij καπάλη vel κάπηλα quid significet? Error Ioannis Camertis. 11. Notiones aliæ reiectæ. 12. Sacerdotes Aulici primum dicti Capellani. Sacellum Regium, Capella.* 1.

### NOTAE.

*13. Lapsus Thesauri trilinguis. Capellæ & Capellani voce Palatina intelligenda. 14. Hæc nomina in Hispanijs vetustissima. 15. An in Concilijs Toletanis.* 7. Pro Capella Aulæ Hispanæ.

### DE ORIGINE CAPVT II.

*1. Aulicos Sacerdotes an Principes Ethnici habuerint?*

*2. An*

2. *An Reges Hebraeorum? Ijs Templum unicum. Aulae Salomonis, & Templi vicinitas.* 3. *Quando primùm in Ecclesia post Christum? usque abs temporibus Constantini Magni.* 4. *Sacellum habuit portatile, Episcopos à Cõsilijs. Eiusdem pietas.* 5. *Aulici Sacerdotes quando dicti Capellani? ita dictos Carolovingij, an Merovingij primùm habuerint?* 6. *Origo, & usus nominis in horum Regno adversus Bulengerum.* 7. *Mentio frequẽtior illis imperantibus.* 8. *Regibus in bella euntibus Sanctorum reliquias gestarunt.* 9. *De Capellanis meminêre Concilia (& quâ occasione) Moguntinum, Aquisgranense, Parisiense, Francfordiense.* 8.

## NOTAE.

Pro Capella Aulę Hispanæ. 10. *In Hispanijs mentio Sacelli Regij qua prima?* 11. *In Aulis Regum Suevorum, Gothorum, Castulonensium. in Concilio Lucensi quid sit familia Regia?* 12. *Loaisa opinatio?* 13. *Reijcitur.* 14. *Sacerdotes Aulici adumbrati in Concilio Toletano VII.* 15. *Pietas Principũ Gothorum etiam in Ethnicismo.* 16. *Theodorico an praesto fuerint Sacerdotes Palatini?* 17. *S. Eugenius III. an Sacellanus Aulae Gothicae antequã Monachus?* 18. *Sacellum Aulae Gothicae cui dicatum? D. Leocadiae sepulchrum.* 19. *Lex Hispana de Capellano.* 20. *Disposita de maiori pertinent etiam ad minorem.* 22.

## DE ANTISTITE CAPVT III.

1 S*Vmmus Capellanus variè dictus: Palatij custos, Apocrisiarius* (2. *Error in Gretsero de D. Gregorio*) 3. *Munus Apocrisiarij.* 4. *Item Archicapellanus.* 5. *Proto-*

*tecapellanus, & Capellanus per Antonomasiam. 6. An idem cum magno Sacellario? 7. Fuit apex dignitatum Palatinarum. 8. Olim in Synodis locum Principem obtinuit. 9. Cum Sirmondo disceptatio. Iuvat Regem moribundum. Dignitates Aulicæ ægrè dimittuntur. Habent multos Procos. 10. Summus Capellanus præfertur Primati. 11. Subscribit primus testamentum Caroli Magni. 12. Excipit Pontificem Romanum. 13. Negotia Ecclesiastica, Monastica, Canonica conficit. 14. Cancellarius, & Comes Palatij in Aula summi magistratus. 15. Vtrumque summus Sacellanus dignitate anteivit.* 31.

## NOTAE.

*16. In Aula Hispana dignitas summi Sacellani. 17. Quis iure perpetuo? 18. Regum privilegia de ea re. 19. Innocentij Tertij auctoritas. 20. Lege Hispana Cancellario Prælatus. 21. Quis iure temporario? In eandem rem diplomata Pontificum.* 43. Pro Capella Aulæ Hispanæ.

## DE DIGNITATE CAPVT IV.

### SECTIO PRIMA.

*1. SAcellani Aulici in quo pretio? 2. Sacellum Regium quibus apertum? non vulgare beneficiū. 3. An filij Davidis fuerint paternæ Aulæ Sacerdotes? 4. Sacello Regio cognati Regum nomen dedêre. 5. Historia de Episcopo quodam, & Sacellano consanguineo Caroli M. 6. Procerum filij in Sacellanos Aulæ Germanæ legi*

am-

## SECTIO SECVNDA.



NO-

## NOTAE.

35. *Describitur Sacellum Aulæ Hispanæ.* 36. *Principalis apparatus cùm Rex Catholicus sacris operatur.* 37. *Collegium Palatinũ quibus viris constet?* 38. *Distinctio Capellanorum eius Aulæ.* 39. *Quo sensu Honorarij.* 40. *Capellani Regum quo loco censendi lege Pontificiâ.* 41. *Privilegium Capellæ Regis Burgundiæ* (cap. cùm Capella, de privilegijs) *ad locum, an ad personas pertineat?* 42. *Quæ Regum Capellæ Diœcesano Antistiti non subijciantur?* 43. *Huiusmodi exemptio quàm vetusta?* 44. *Quibus Concilijs probetur.* 45. *Capellæ Regum, & privatorum in quo differant?* 46. *Reges Catholici quãti faciant Aulæ Hispanæ Sacerdotes.* 47. *Laus Ecclesiæ Toletanæ.* 48. *Capellæ Hispanæ emulumenta, & prærogativa.* 73. ProCapella Aulæ Hispanæ.

## DE LECTIONE CAPVT V.

1. *AD Sacellanos Aulicos legendos quanta cura adhibenda? monita Concilij Parisiensis.* 2. *Meldensis.* 3. *Aquisgranensis.* 4. *Laudantur in ea re Alphonsus in Hispania, Ludovicus in Gallia uterque Nonus.* 5. *Defensi Carolus M. & Ludovicus Pius. Incommoda ex electione infimorum.* 6. *Carolus litterarũ amantissimus.* 7. *Capellanorum Sacramentum cùm legebantur.* 79.

## NOTAE.

8. *Præmia invitant ad bonas artes. Aulæ Regiæ quibus viris sint ornandæ?* 9. *Lex Polonica de Sacerdotijs.* 10. *Canonici Lugdunenses soli nobiles: omnes Comites. Nobiles an præferẽdi? responsum Gregorij IX.* 11. *Caroli V. ad* ProCapella Aulæ Hispanæ.

*V.ad Siculos de Capellanis allegendis.* 12.*Sacellum Aulæ Hispanæ quibus apertum.* 13. *Hodiernus cooptationis modus.* 14.*Capellanum cooptandum qualem velit lex Hispana.* 15.*Capellanus olim Regum Confessarius. Hinc legi secreti tenax.* 16. *Historia de Rege Aragoniæ & Cõfessario. Capellanus reus Maiestatis à quo puniendus?* 17.*Dotes aliæ explanatæ. Isabella Castellæ Regina corripit Sacellanos in syllaba peccantes. Lapsus linguæ Sacellani Regis Sueviæ.* 18.*Capellanus Aulæ Hispanæ puri sanguinis.* 19.*Ius iurandum in ingressu honoris.* 83.

## DE MVNERE CAPVT VI.

1. *MVnus Aulici Sacellani sacris operari domi & foris. Carolus M. qualem optaverit in bellis: de quo iucunda historia.* 2.*Regijs mensis benè precatur.* 3.*In Aula Bizantina id munus præcipuè Protopapæ. Ferculum è mensa Imperatoria accepit.* 4.*In magnis festis alij Clerici ferculo donati. Item Proceres & Magnus Domesticus cum disco.* 5. *In eadem Aula Græco Imperatori Sacellanus, à re Lampadarius prætulit lampadem, & quam ob causam.* 6. *In utroque Imperio Orientis & Occidentis ante pugnam Sacellani quid effecerint.* 7.*Capellani olim è secretis Regum.* 8.*Carolus Magnus cur Episcopatum uni ademerit, alteri dederit?* 89.

## NOTAE.

Pro Capella Aulæ Hispanæ.

9. *Antiquum munus Capellani Aulæ Hispanæ ad Dominicanam familiam delatum.* 10 *Horarias preces cum Rege recitabat.* 11.*Munera hodierna.* 12.*Rex sui Capel-*

## DE BENEFICIIS REGIIS.

### CAPVT VII.



NO-

SECTIO PRIMA.

Pro Capella Aulæ Hispanæ.

*16. De stipendio diurno. 17. Aulico Sacerdoti ob quã maximè necessarium. 18. An sola spe beneficij liceat servire Magnatibus. 19. Stipendium necessarium etiam ad exemptionem. 20. Familiaris quis vere dicatur. 21. Beneficiũ quandò vacet ob eiusdem mortem. 22. Diploma Sacelli Aulæ Hispanæ & Lusitanæ. 23. Qui excusentur Capellani Regum ab assiduitate in beneficijs? 24. Viduæ Ecclesiæ reditus ijsdem ubi attributi? 25. Itẽ assiduitatis venia concessa. 26. Collegia alia Ecclesiastica, & Senatores Regũ gaudent simili privilegio. 27. Capellani quoq; Aulæ Neapolitanæ & Lusitanæ. 28. Et familiares Cardinalium. 29. Ordo Ecclesiasticus in Hispania & Gallia se opposuit antedicto privilegio. 30. Quas restrictiones sint adhibitæ.* 114.

SECTIO SECVNDA.

*31. Principis aspectus loco muneris. 32. Eiusdem beneficia vel exigua magnifacienda. 33. Aulicorum seu Curialium privilegia. 34. Capellanis vacatura benificia alicubi affecta. 35. Item Regum Consiliarijs. 36. Regis Neapolitani Capellanis, quæ beneficia reservata? 37. Sacellum Aulæ Hispanæ Antistitum Seminarium. 38 Quot dederit Reip. viros clarissimos. 39. Supremus Italiæ Senatus eiusdem fautor. 40. Testamentum Philippi II. & lex Hispana Regio Sacello favorabilis. 41. Rex & Capellani, quæ sibi mutuò rependant.* 120.

# SACELLVM REGIVM,

*HOC EST,*

## DE CAPELLIS ET CAPELLANIS REGVM,

LIBER SINGVLARIS.

## *DE NOMINE,*

## CAPVT PRIMVM.

1 C*APELLA & Capellanus Latinobarbara.* 2. *Cappa quale vestis genus?* 3. *An capitis tegumentũ?* 4. *Habitus maximè viri religiosi.* 5. *Vestis fuit expedita.* 6. *Cultus D. Martini in veteri Francorum Regno.* 7. *Illius cappa Regium vexillũ, Regni Palladium.* 8 *Capellanus.* 9. *Capella ab eade dicta?* 10. *Hesychij* καπάλη *vel* κάπαλα *quid significet? Error Ioannis Camertis.* 11. *Notiones aliæ reiectæ.* 12. *Sacerdo-*

*tes aulici primùm dicti Capellani. Sacellum Regium, Capella.*

1 DVO hæc vocabula *Capella* & *Capellanus*, quibus denotãtur myſtæ & Sacerdotes, qui in aulis Regũ rem divinam faciunt; & locus ipſe, in quo ſacris operantur, priſcis Latinis incognita fuêre, nedum uſitata. Vnde qui Latinè cum ſcrupulo loquuntur, iure illa tanquam ſpuria & Latino-barbara reijciunt, & in eorundem locum alia ſubſtituunt: nimirũ Sacellum, Sacellanos, Aedem Palatinam, Aulicos Sacerdotes, & alia huius generis. Nos in hac tota diſſertatione omnibus promiſcuè utemur, quod ſemel ſit dictum, & cum bona Latinorum venia; imò citra reprehenſionem uſurpabo ſæpius vocẽ, *Capella*, & cognatam *Capellanus*, non modò quia vulgo notiora ſunt, & uſitatiora, quamvis parũ Latina; verùm quia polliciti ſumus afferre earundem notionem. Vnde vt fidem noſtram liberemus, neceſſe eſt in medium afferamus quicquid de ea re potuimus invenire.

2 Itaque hæc nomina *Capella* & *Capellanus* à voce *Cappa* deducunt plerique Scriptores extritâ alterâ P. (ut ſcribit bona pars eruditorũ, licet meo iudicio melius facerent ſi P. geminarent. Ita enim propius attingerent originatio-

nem harum vocum. Sed utendum est sermone, ut numismate; cui insit publica forma; (qui est consensus eruditorum) quę vox ineleganti etiã & barbaro seculo orta nunquam fuit iure Latio donata: quamvis sint qui eandem è voce Latina *Capio* derivent. Cappa enim apud eos, qui illam primi excogitarunt, fuit genus quoddam vestis supremæ; & non cuiuslibet, sed eius præsertim, quæ & caput & totũ corpus, & unà cæteras vestes tegeret, & comprehenderet. Auctor [a] valdè bonus similem putat antiquo usui, & figuræ capparum vestem quandam rusticã, quâ his temporibus rustici in Hispania utũtur; quippè qua, cùm usus poscit, & caput contegunt, & cæteras corporis partes. Præterea observat ex his ijsdem defluxisse in Belgium vestes, quas vocant cappas, ex re & modo dictas itidem Hispanicas.

3 Hinc pleræq; nationes solent metaphoricẽs *Cappam* dicere patrio sermone, quod in rebus multis supremum est, & omnia contegit. Sic Basilicarum & templorum summum tectũ Cappam alicubi appellant: Communiùs etiã ipsi cœlo Cappæ nomen est tributum, quòd omnia contineat & comprehendat. Sunt etiã qui [b] putent Cappam, quâ pro capitis tegumento, voce Græco-barbarâ, vident à nonnullis [c] usurpari, è voce *Caput* esse deductã. Quasi verò aliquando à vestimento seiuncta instar fue-

a *Gorop. Becan. lib. 11. Hieroglyph.*

b *Iacob. Gretser. lib. 2. comm. cap. 6 in Codin. c. 5. num. 48.*

c *Georg. Codin. de offic. magna Eccl. & Aula Constantinopol. ind.*

fuerit communium pileorum, aliquando vesti assuta (quales fortè vestes monasticæ) toti vesti nomen dederit.

4 Verùm licèt hoc induměti genus ferè promiscuũ antiquitus fuisset, eoque utpotè magis expedito viri etiã profani in tempore uterẽtur, ut possumus colligere ex Cæsario in historia illustrium miraculorum; cappã tamen Monachorũ hinc ego reor pręcipuã originẽ duxisse. Talis enim erat, ut unâ, eâdemque togâ caput tegeret, & cætera nõ modò hominis membra, sed etiã reliquas vestes. Hodie verò hæc diversitas observatur, quòd multi cœnobitæ penulam ipsam à capitis cucullo gestant divisam: eatenus à vetusto cappæ usu est discessum.

5 Sed ut annotavi, Cappa, habitus fuit peculiaris, viri religiosi & cœnobitæ. Ac planè fuit masculus vestitus non ad mollitiem & ornatum factus, sed ad cœli iniurias tantũmodo arcendas: ijsque accõmodatus, qui parum urbanæ elegantiæ studentes vestem sępius mutare nollent. Nã quod unicâ & expeditâ veste sibi præstari posse cernerent, id frustrà pluribus fieri existimarunt. Adeò ut animũ induxerim, cappam, quam hactenus descripsi, & pallium quo prisci Christiani utebantur, similia omnino extitisse. Pallium certè à Tertulliano [a] his exprimitur: *Quippè tota molitio eius* (Pallij) *operire est solutim, id est, unicũ circumiectu, licèt quidem nus-*

[a] *Tertul. lib. de Pall. c. 5.*

*nusquam inhumano*: *ita omnia hominis simul contegit*. Quibus denotat, Pallio nullum vestimentum expeditius, nulla sui parte cilijs compositum; appellatq; *nusquam inhumanum* illius coniectum; quòd nullam hominis partem non cōtegeret, quæ omnia *cappæ* planissimè quadrāt. Si quis demum rei vestiariæ studiosus vellet cappam comparare cum aliquo vestis genere Romanæ antiquitatis, præter Bardocucullum vestimentum aliud, quod propius cappæ accedat, non inveniet. Erat enim pallij quoddam genus habens cucullum adiectum, & è panno crassiore: cuius usus frequens est hodie apud nautas & aurigas.

6 Verùm his ita constitutis in eruditorum gratiam; recolere etiam hîc oportet ex sacris monumentis venerationem, quā in veteri Frācorū Regno eius regionis incolæ D. Martini memoriā & exuvias coluêre. Tanta enim perhibetur extitisse, ut ab anno mortis eius instrumenta publica signarētur: a adeò ut qui cum adversario vellet experiri, atq; agere tabellis obsignatis, necesse erat, exhiberet syngraphas notatas anno, quo Divus ille inter mortales esse desijt, ut enim multæ nationes aliā, atq; aliā Eram habuêre in usu, sic veteres Franci eā sibi epochā invenêre. Reges verò ut cęteros sibi subiectos maiestate, ita etiā hoc cultu superarunt.

7 Nam in expeditionibus bellicis, & in ipso

*a Baleng. in appēd. de offic. Reg. Gal. Planè Grig. Turonensis inde est auspicatus suam historiam.*

mum hostibus conflictu sanctissimi Viri, & Divi tutelaris cappam circumferebant tanquã Palladium Imperij,& auxilio futurã adversus hostes cum spe certissimæ victoriæ. Eam verò commendabant fidei Sacerdotum aulicorum, qui Regem quocunque iret comitantes castra sequebantur, sacra mysteria facturi.

8 Vnde tanquam custodes cappæ *Capellani* sunt vocati. Sacrarium etiam ipsum, sive tabernaculum, in quo servabatur, *Capella* inde etiam est dicta: extrita in utroque vocabulo altera P. ut initiò dixi, & scribunt eruditiores: *Dicti sunt primitus Capellani à Cappa S. Martini, quam Reges Francorum ob adiutoriũ victoriæ in prælijs solebant secum habêre: quam ferentes & custodientes cum cæteris sanctorum reliquijs, Capellani cœperunt vocari.* Sunt verba & etymologia, quam dat Vvalafridus [a] Strabo Abbas Augiensis, cap. ult. lib. de exordijs & incrementis rerum Ecclesiastic. Consentiunt alia Honorij [b] in laudem eiusdẽ sanctissimi Viri: imò comprobant quæ antè adnotavi de cultu Regum: *Huius* (S. Martini) *cappa Francorum Regibus ad bella euntibus pro signo antéferebatur, & per eam hostibus victis victoriâ potiebantur. Vnde & custodes illius cappæ, usque hodie Capellani appellantur.* Observa hìc obiter Reges illos Divi Martini vestem tanquam vexillum habuisse in prælijs, non induisse, ut non nemo est auguratus (an somniatus) ne-

a *Vvalafri. Strab. lib. de exord. & increm. rer. Eccles. cap. ult.*

b *Honor. in serm. de S. Marti.*

ſcio quâ, imò nullâ ductus coniecturâ.

9 Capellæ etiam notionem ab eadem cappa affert Monachus Sangallẽſis [a] in vita Caroli Magni; de quo verba faciens occaſione alibi referenda: *Ex pauperibus ſupra dictis, quendã*, inquit, *optimum dictatorem & ſcriptorem in Capellam ſuam aſſumpſit, quo nomine Francorum Reges propter cappam S. Martini, quam ſecum ob ſui tuitionem, & hoſtium oppreſsionem iugiter ad bellum portabant, ſancta ſua appellare ſolebant, vel patrocinia Sanctorum.* Hinc fortaſſe eſt factũ, ut paucis poſt annis, qui obitum D. Martini ſunt cõſecuti, loculos etiam, & thecas aureis, argenteiſve cruſtis illigatas, in quibus religioſè aſſervabantur ſacra pignora Sanctorum, *Capellam* appellarent: nimirum petito vocabulo ab aula Regum Francorum. Evodius [b] licèt Epiſcopus Aphricanus in libro de miraculis S. Stephani: *Capella*, inquit, *argentea in qua erat reliquiarum portio.* Capellæ nomine arculam denotat, in qua illæ erant repoſitæ. Vereor tamen, ut ſit deceptus Auctor Gloſſarij adiecti in calce codicis legum antiquarum. Is quippè in verbo *Capella*, hanc Evodij auctoritatem adducit. Sed cùm ego Evodium ipſum conſuluiſſem, comperi eſſe uſum voce *Capſella*, quæ arculã eo loco, eáque occaſione ſignificantius denotabit: quam vocem potuit derivare è Latina voce, *Capſa*. Vnde facilè potuit is homo falli demptâ uni-

[a] *Monach. Sangall lib. 1. c. 4. apud Henr. Caniſ. tom. 1. antiq. lection.*

[b] *Evod lib. 1. de miracul. S. Steph. cap. 8.*

unicâ litterâ S. quâ extritâ remanet *Capella*, nisi tamē alium Evodij codicem sit nactus, qui *Capellam* haberet, non *Capsellam*.

*a Ioan. Files. in querela Eccl. Gallic. seu de Sacri-leg. Laico.*

10 Est tamen Ioannes [a] Filesacus Theologus Sorbonicus, eruditus Scriptor, & de re Ecclesiastica benemeritus, qui asserat nō omnibus probari *Capellani* notionem, quam dedimus; eamque vocem malè derivari à verbo, *Cappa*, potius è *Capella* esse deductam; originē verò huius vocis dicit etiam esse Græcam ex Hesychio, idque demonstrari à Iurisconsulto, nescio quo, quem ipse tantùm appellat nostri seculi facilè Principem. Hunc ego certè non vidi, nec admodum elaboravi in conquisitione contentus adire fontem ipsum, unde hauserat: dico Lexicon [b] Hesychij, in quo vox κάπαλα, vel καπάλη, tres potissimùm habet significationes, ut prætermittam quandā aliam, quæ omnino ad rem non facit, & denotat forū macellarium apud Tarentinos; verba ipsa Hesychij exscribam: Καπάλα, ἔνθα ὁ κυβερνήτης κάθηται: πάσσαλος, περὶ ὃ καθάπτεται τὰ σχοινία, καὶ τὸ ἐν τῇ πρύμνῃ κοίλωμα ἔνθα οἱ ναῦται πάντα ἀποτίθενται: hoc est: *Capela ubi gubernator sedet. Palus circa quem involvunt funes: & quæ in puppi est cōcavitas, ubi nautæ omnia recōdunt, seu reservanda deponunt.* Tertius, hic & postremus sensus quoquomodo aptari posset Capellæ notioni. Nam in ea tanquam in sacrario recondere & adservare solemus sacra utēsilia,

*b Hesychius in Lexico.*

vestes,

vestes, vasa, & quicquid pertinet ad rem sacrã. Nec procul distat notio, quam dedimus, cùm *Capella*, ita fuerit dicta ob custoditam in eadẽ D. Martini vestem, quam *cappam* appellabant. Suffragatur locus ex testamento Caroli M. quod de omni gaza regia, & rebus mobilibus confecit. Nam ubi ad sacram supellectilem pervenit: *Capella* [a], inquit, *hoc est*, *Ecclesiasticum ministerium*. In quo etiam sensu Capellam usurpat nõ semel S. Everardus [b] Comes in alio testamẽto, quod condidit, & qui uxorẽ habuit Ludovici Pij filiam. Primus etiã sensus ex tribus Hesychij metaphoricas accommodari huic rei posset, cùm in Capella maximè, & in Basilicis sacrosancti appateat, sedeantque qui in rebus sacris summam obtinent potestatem.

Verùm ego nequaquam adduci possum, ut credam sive Capellæ, sive Capellani notionẽ è voce Græca καπέλη esse derivatam. Cur enim metaphoricam requirere debemus, si habemus in promptu genuinam, quam Viri [c] graves, & Scriptores rei Ecclesiasticæ periti, tradiderũt? Neque est credibile à voce Græca esse deductã, cùm non persuadeat istud eius tẽporis cõditio, quo primum tempore hac vox in Orbe Christiano est invẽta. Incultiora fuerũt ea secula, quã quæ peterent è media Græcia voces [d] inauditas, vix Latinas capiebãt. Quid? quod homo quidã dãnati nominis, qui voces Græcobar-

a Eginhard. in eius vita.

b In codice donat. piarũ Auberti Miræi cap. 21. anno 937.

c Durãd. lib. 2. c. 10. n. 8. Baron. in notis ad Martyrolog. 11. Iunij.

d Ioã. Meurs. in Lexic. Græco-barb. verbo καπέλλα.

barbaras collegit, vocem καπιλλάνος, Græcam non agnoſcit, & inter barbaras ſuccenturiat? Vnumque adducit Auctorem [a] Anonymum de bello ſacro, qui eo vocabulo ſit uſus, & ſemel in ea Græca hiſtoria: ad quem à voce Latino-barbara potius pervenerat, tantum abeſt, ut ab Heſychio, vel ab alio ex Græcis ſit mutuatus. Atque hoc illud eſt in quo offendit Ioãnes Camers [b], qui in eo graviter eſt lapſus bonus Theologus, neque indiſertus Philologus, ſed rudis Canonum, quod huius vocabuli (*Capella*) primum & antiquiſsimum Auctorem agnoverit Clementem Romanum, doctrinâ & ſanctitate conſpicuum, ut ſcimus; & qui tertius, ſive quartus Eccleſiæ Romanæ præfuit: quique ab Apoſtolo [c] Doctore Gentium laborum conſors nominatur. Addidit prętereà, ut magis proderet ſuum errorem, eius Pontificis verba relata fuiſſe in librum tertium Decretalium, titulo de iure [d] Patronatus, capitulo (legem ipſe dicit) 25. cuius initium eſt, *Nobis fuit.* Sed peccat multifariam, & eſſet fortè excuſatione non indignus, ſi error pertineret potius ad intelligentiam eius legis Pontificiæ (quod poteſt condonari Theologis, quoties Canones tractant) & non potius ad rationem & doctrinam temporũ. Neque enim Clemens I. [e] qui poſt Petrum & Linum, imò & Cletum, ſeu Anacletũ, ut ſentit Bellarminus, orthodoxam & Romanam Eccleſiam

a *Anonymus de bello ſacr.*

b *Ioan. Camers in Tabul. Cebet. Thebani.*

c *Ad Philip. cap. 4.*

d *Cap. nobis fuit, de iure patronat.*

e *Lib. 2. de Pont. Rom. cap. 5.*

ſiam

ſiam rexit anno Chriſtiano XCIII. fuit conditor eius legis Pontificiæ, ſed Clemens III. qui ſummum Pontificatum eſt adeptus poſt elapſos annos formè mille ſupra centum, nempè anno MCLXXXVIII. Atqui Ioanni Camerti, ne agnoſceret Clementem Romanũ vocabuli, *Capella*, primum Auctorem, ſi non ratio temporum, certè argumentum Canonis potuit perſuadere. Quædam enim in eo ſtatuuntur, quæ in Republica Eccleſiaſtica pertinent ad ius illud Patronatus; quod in locis quibuſdam ſacris, & Sacerdotijs poſſunt homines profani obtinere. Quod ius fuit inauditum, quo tempore Clemens I. geſsit Pontificatũ Eccleſiæ in cunis adhuc vagientis. Imò Patronatus huius generis prima mentio vix reperitur eâdem iam adultâ: ut poterit obſervare, qui velit apud [a] Theologum Pariſienſem diligentiſsimum inveſtigatorem antiquitatis Eccleſiaſticæ. Demum Clemens I. quicquid ſcripſit Græcè ſcripſit. At nemo unquã in Græcis Scriptoribus *Capellæ* nomen reperiet. Solùm in incerto & Anonymo Auctore belli ſacri vox *καπελλανος Capellanus* invenitur. Qui etiam nonniſi poſt milleſimum ſupra centeſimum annum confecto bello ſacro vixiſſe potuit. Vnde eam vocem inter Græco-barbaras recenſet Neotericus Scriptor, ſed corruptæ Religionis.

11 Ex hactenus dictis facilè ediſcimus, erraſſe multos in tradenda Capellæ notione: Gloſſographum

[a] *Ioann. Fileſ. de ſacr. Epiſc. auctorit. c. 4 §. 5.*

phum [a] in primis in decreto Gratiani: nam Capellam dictam, putat, quòd caprarum pellibus tabernacula tegerentur, sed absque alia auctoritate, aut ratione. Licet id in itinere effecisse viros Principes nonnulli autument. Videtur etiam suffragari Glossographo locus Exodi [b], quem tamen non adducit: nã de Mose loquens ait: *Fecit & saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi.* Minus satisfacit eruditorum genio altera notio [c] adiecta in margine eiusdem Decreti. Nam Capellam effinxit ex dictione Græca λαὸν, quæ populum significat, & è Latina *Capio*, quasi verò locus ille sacer capiat populum, dum sacris interest. Quid est aliud effingere chymęras si hoc non est? quamvis non me lateat nõnullas esse voces compositas ex dictione Græca & Latina, ut Prudentij Protoparens, Primopsaltes, & alia Varronis [d] antiquiora, sed albo corvo rariora: quasi verò hac mixtura longè melius, & elegantius res indicanda exprimeretur. Hinc non possum non mirari Fungeri facilitatem, qui in suo Etymologico dum vult videri diligens scrutator notionum tam facilè, quàm ineptè acquiescit originationi vocabuli *Capella*, quam adinvenit sive Papias antiquus Grammaticus Longobardus, sive qui scripsit Glossemata in Decretum Gratiani. Originatio verò est hæc eadem quam improbavimus.

a *Gloss. in c. concessimus, de consecrat. distinct. 2.*

b *Exod. cap. 36.*

c *Gloss. marginal. in cap. concedimus sit.*

d *Fab. lib. 1. cap. 5.*

Auctor

Auctor etiam, seu consarcinator libri, qui Gemma [a] inscribitur, tres affert Capellę notiones, sed præter secundam, quæ est eadē cum nostra, prima & postrema ex dictis absurdi convincūtur. Quamobrē præ cæteris illa notio arridet, quam scriptis suis consignarunt Vvalafridus, Honorius, Sangallensis, & locis ante adductis amplexi sunt Durantus & Baronius.

*a Liber qui inscribitur Gēma animæ, tom. 15. Bibliot. Sanct. Patr.*

12 Observo hîc demum nomina *Capella* & *Capellanus* potissimùm convenire, & tanquam primario analogo, ut loquar Philosophicè, Regum Sacellis & Sacellanis Palatinis. Nā qui primùm Capellani sunt vocati, Sacerdotes ij fuēre, qui in Aulis & comitatu Regum sacris operabantur: & Capella prima item est dicta locus ipse, seu sacrariū, in quo Reges Sanctorū reliquias adservabant, & rem divinam audiebant. Vnde *Capellæ* nomine tantùm *Regia* veniret, & *Capellani* voce mera rectè Sacerdotē Aulicum subaudires absque alio additamēto. Liquet hęc observatio ex etymo utriusque nominis.

## NOTÆ.

13 *Lapsus Thesauri trilinguis Capellæ & Capellani voce. Palatina intelligenda. 14. Hæc nomina in Hispaniis vetustissima. 15. An in Conciliis Toletanis.*

Pro Capella Aulæ Hispanę.

13 Quam-

13 QVAMVIS quod attinet ad notionē nominis pauca superſint dicenda, aut addenda, illud tantùm adnotabo; utrumque vocabulum *Capella* & *Capellanus* idiomate Hiſpano paucis immutatis iam uſque abs vetuſtis temporibus uſurpari: tametſi hodie nonnulli addant Regis nomen (quod omitti poſſet, ſi recolueris noſtram obſervationem) ad denotandos Regios Sacellanos, & Sacellum Palatinum: locum, inquam, in qua parte Aulæ fit res divina, & Sacerdotes qui ibidem peragunt myſteria ſacrata. Quod etiam Auctor Theſauri trilinguis voci Hiſpanæ, *Capilla*, parum probabilem notionem aſsignat, collige ex ijs, quæ diximus adverſum Gloſſographum Gratiani. Hic enim illi dedit errandi occaſionem, & non nemo ex [a] Iuriſconſultis doctioribus.

a *Rebuff. de pacif. poſſeſſ.*

14 Quod verò nomē Capellani (*Capellan*) ſit vetuſtiſsimum in Hiſpania, licèt ortū apud exteras gentes aliunde advenerit, tum docent Regum antiquiſsima [b] diplomata, cùm leges [c] ipſæ Hiſpanæ in opere ſeptipartito. In ijs fit mētio expreſsiſsima Capellani tū maioris, cùm inferioris. Quæ teſtimonia poſteriùs ex occaſione non ſemel adducemus.

b *Privileg. Alphonſi VI. anno 1174.*
c *Part. 2. tit. 9. l. 3.*

15 Poſſet etiam aliquis ex Gratiani decreto uſum nominis *Capellæ*, antiquiſsimum in Eccleſia Hiſpanienſi demonſtrare. Is quippè ad-

adduxit ex Concilio [a] Toletano Canonem pertinentem ad fines Paræciarum, in quo de Capellis etiam fieret mentio. Sed qui Gratianum ipsum emendarunt, Canonem quem laudat, in nulla Toletana Synodo inveniri adverterunt. Qui potius [b] à Burchardo, & Ivone ex [c] Concilio quodam Aquisgranensi est depromptus, & ab utroque in sua commentaria Canonica relatus.

a *16. q. 1. Can. plures 54.*

b *Burchard lib. 3. c. 22.*

c *Ivo par. 3. cap. 27.*

# DE ORIGINE.

## CAPVT II.

1 *AVlicos Sacerdotes an Principes Ethnici habuerint? 2. An Reges Hebræorum? Iis templum unicum. Aulæ Salomonis, & Tepli vicinitas. 3. Quando primum in Ecclesia post Christum? usque abs temporibus Constantini M. 4 Sacellum habuit portatile, Episcopos à consiliis. Eiusdem pietas. 5. Aulici Sacerdotes quando dicti Capellani? ita doctos Carolovingii, an Merovingii primum habuerint? 6. Origo, & usus nominis in horum Regno adversus Bulengerum. 7. Mentio frequentior illis*

*imperantibus. 8. Regibus in bella euntibus Sanctorum reliquias gestarunt. 9. De Capellanis meminere Concilia (& qua occasione) Moguntinũ, Aquisgranense, Parisiense, Francfordiense.*

PRIVSQVAM edisseram, quãdo primùm Principes Orthodoxi in suis aulis Sacerdotes à domesticis sacris habuerunt, quos hodie vocamus *Capellanos*, quæstiunculas duas volui præmittere quasi prodromas, nec ingratas eruditis. Prima erit, num etiam prisci Cæsares Romani, Principes Ethnici, Palatinos sacrificulos, & ædem Aulicã habuerint? Altera an Sacerdotes Aulicos huius generis aluerint Reges Israëlis in Republica Hebræorum?

## QVÆSTIVNCVLA I.

*An Imperatores veteris Romæ Palatinos sacrificulos habuerint?*

1 VT primam explicem, dico esse quamplura *Annalibus eruta priscis*, quæ suadeant, in Aula Imperatoria veteris Romæ Sacellum, & Sacellanos Aulicos extitisse. Primùm templum Apollinis Palatini, fortasse ita dictum à Pa-

à Palatio, quod inhabitarunt prisci Cæsares. II. Sacerdotes Salij, itē dicti Palatini. III. Sacerdotes alij, seu Flamines, qui cognomenta desumpsere ab Imperatoribus, quibus domi, ut est credibile, sacra peregere: hi sunt Flamines *Augustales*, *Flaviales*, *Traianales*, & alij plures. IV. Sacerdos *Palatualis* dictus, qui *Palatua* Deæ, in cuius custodia erat Palatium, sacrificavit: sacrificium ipsum *Palatual* dixere. V. Locus quidam Suetonij, quo loco enim loquitur de iurgio Liviæ cum Tiberio, ait; illam deprompsisse codicillos quosdā Augusti è Sacrario: quod interpretātur Sacellum Aulicum, seu locum Aulæ consecratum. VI. Auctoritas Poëtæ, qui in quadam domo Regia disertis verbis visus est astruere Templum Aulicum: quod non tam Poëticè videtur fictum, quàm cum allusione ad Sacellum domesticum sui Cæsaris. carmina posteriùs exscribam.

*Hæc tamen me non movent, quominus asseram, hæc eruditè quidem ex monumentis veterum collecta, non probare, extitisse in Aulis* Cæsarum & Principum Ethnicorū ædem Palatinam & sacrificulos, qui in eadem sacris operarentur: obiecta diluam quàm brevissimè potero.

I. Quod legimus de Templo Apollinis Palatini, verum planè est fuisse ab Augusto consecratum post Actiacam victoriam cum in-

ſtructiſsima Bibliotheca, in quo Lychnuchi pendebant inſtar arboris mala ferentis: non tamen facit in rem, qua de agimus, & quærimus. Ita enim fuit dictus ſive Deus, ſive Templum, non quòd in domo Imperatoria eſſet conſtructum, ſed in ea urbis parte, quæ Palatium, ſeu Mons Palatinus dicebatur; & erat Regio urbis decima. In qua proinde Templũ Apollinis Palatini collocarunt a P. Victor, & b Onuphrius, illud à domo Auguſta apertè ſeparãtes.

a P. Victor. in Regione x.
b Onuph. Pã vi. in urbe Roma. Regione x.

II. Idem reſpõdeo de Salijs; nam Sacerdotes Palatini vocabantur, quòd à Numa Põpilio inſtituti ex ordine Patricio Martis ſacra in Palatio celebrarent, hoc eſt in monte Palatino. Vnde illis eodem loco Sacrariũ aſsignavit Pãvinus c, & longè diſtans à domo Imperatoris.

c Idẽ Regione x.

III. Non diffiteor fuiſſe Romæ Flamines variè dictos Auguſtales, Traianales, alioſque. Verùm iſti ita ſunt nuncupati, nõ quòd eorundem Imperatorum, quibus erant attributi, Sacerdotes Aulici extiterint. Sed quòd ijſdem tãquam Dijs litabant, poſtquam per ſummam adulationem inter Deos erant relati antiquo ritu vulgatæ Apotheoſeos (horum numerum collegit d Panvinus in ſua civitate Romana) tunc enim ijs Principibus, ubi è vivis exceſſerant (& viventibus interdum, ut Iulio Cæſari) cæleſtes honores decernebãtur, ideſt Flamines, Templa, Aræ, Pulvinaria; Sodales præterea, &

d Onuph. Pãvin in civit. Roman. Sueton. in Caſ.

Sa-

Satellites: ex illis effectas Sodalitates pias, ex istis ordines Equestres, ut hodie S. Iacobi, vel Theutonici, arbitratur Blondus[a] Flavius.

IV. Probè scio extitisse Romæ Flaminē *Palatualē*[b] dictum, qui sacrificabat Deæ *Palatuæ*, in cuius tutela erat Palatiū; sacrificiū verò ipsum *Palatual* vocatū. Sed hæc omnia pertinuēre ad montē ipsum, seu regionem Palatinā, quæ fuit decima, & Palatiū nuncupata. Nam Flamen, Dea, & sacrificium iā extabant, & domus Augusta nōdum Palatium appellabatur. Quæ ita est dicta ab Imperio Augusti, qui primus è foro Romano in eam regionem migravit: unde Aulam Palatium vocarunt à monte ipso. In quo quia deinceps Imperij sedes semper stetit, & consequentes Cæsares in Palatio habitarūt, hinc domum Augustam, & processu temporis Principis cuiuslibet, hodiè verò etiam splendidi hominis domum, Palatium dixere. Extitisse verò ante Augustum Palatualem Flaminē, & Palatuam Deam satis convincit auctoritas Varronis[c], qui vixit ante eundem Imperatorem, & fatetur in suis libris de lingua Latina, cognomina Flaminum quorundam (in primis recenset *Palatualem*) obscuram originem habere, de qua cùm loquatur, ut de re antiquissima, planum est originem, & usum huius Sacerdotis antecessisse Imperium Augusti, adeoquè appellationem ipsius domus Augustæ.

a *Blondus Flav. lib. 2. de Roma triumph.*

b *Varr. lib. 6. de ling. Latin. & Festus in verb. Palatual.*

c *Varro lib. 6. de ling. Latin.*

Non me latet esse [a] Suidam, & Scholiastē Iuvenalis, qui asserere videntur domum Romuli dictam etiam Palatium. Sed utriusque fidem elevant tum Scriptores, qui describunt Regiones urbis Romæ, tum qui de rebus gestis eiusdem Reipublicæ commentaria confecere. Apud quos nulla est mentio Palatij, quod denotaret domum, in qua vivebat, vel consultabat, qui præerat Populo Romano. Tempore Regum, *Regiam*, tempore Consulū *Curiam* appellant. Potuere ij auctores domū Romuli Palatiū vocare, quòd in Palatio monte fuisset cōstituta, quod evenit quotidie: in quo revera sedes Imperij fuit re ipsa collocata. Maius negotiū eruditis facesseret locus [b] Ennij, qui vixit longè ante Cæsares, dū metaphoricōs appellat cælum, *Cæli Palatium*: videtur desumpsisse metaphoram è domo Regia, vel Prætorio, quod tempore eius Poëtæ, qui Augustum multùm tempore anteivit, Palatium fortè vocabatur. Sed idem ferè respondemus: nam Ennius licèt nomine Palatij nō Regiam, vel Curiam intellexerit, sed regionem ipsam, seu montem, qui Palatiū dicebatur, adhuc tamen bonâ est usus tralatione. Siquidem benè potuit assimilare cælū huic monti, in quo sedes Imperij Romani semper extitit. Primò enim illum inhabitarūt Romulus, Ancus, Tullus, Hostilius Reges: liberâ Republicâ ibidem fixū est Prætorium.

[a] *Suidas in verb.* παλλάτιον.

[b] *Enni. apud Cicer. lib. 2. de nat. deor.*

Curia

Curia vetus in eo designatur à P. [a] Victore. Imò quatuor veteres curias ibidem Onufrius agnovit: in summa vix alius locus ita scriptis est celebratus.

V. Restat locus [b] Suetonij, ex quo ostendere quis posset in Palatio Imperatoris Sacellum, quod nos delineamus. Is Scriptor de Livia loquens: *At illa commota*, inquit, *veteres quosdam ad se Augusti codicillos de acerbitate, & intolerantia morū eius* (Tiberij eum quo iurgabatur) *è Sacrario protulit, atq; recitavit*. Sed neq; ex hoc loco quod inquirimus, colligi potest. Primò enim sunt interpretes, qui pro voce, *Sacrario*, legāt *Secretario*: qui erat locus, in quo res secretæ reponebantur: quā vocē in hoc sensu usurparūt Latini aliquot. Sic [c] Apuleius *Secretaria* naturæ appellat occultiora, & secretiora sub terrā loca: & [d] Ruffinus antiquus Iosephi interpres, & Latinitatis optimè callēs ait Philonē ex *Secretario* Caij excludi iussum. Duo etiā fuisse in veteri Ecclesia *Secretaria* huiuscemodi observat eruditus [e] Scriptor, in quorū uno adservabant sacrā Sinaxim; in altero sacra Biblia, & sacros Codices. *Secretariū* etiam populi Romani, hoc est, Tabulariū in regione 4. urbis Romæ, quæ Via sacra, seu Templū Pacis dicebatur, [f] Pavinus collocavit. Sed nolo uti effugio huius variæ lectionis, quā qui adinvenit, meritò sugillatur; cū Suetonio vocē attribuat seculo, quo scripsit

[a] *Victor. Regione x. Onuphri. Panv. in urbe Rom. Regione x.*

[b] *Sueton. in Tiber. c. 51.*

[c] *Apulei. de mundo.*

[d] *P. Ioseph. lib. 18. antiquit.*

[e] *Ludov. la Cerd. in adverf. sacr. c. 133. n. 11.*

[f] *Onuph. Pāvi. in urbe Roma, Reg. 4.*

vix notam, imò non paucis post annis natam. Qui enim eâ utuntur Auctores, sunt posterioris ævi. Panvinus proculdubio eandem est mutuatus, ut multa alia loca & nomina ex statu Imperij ad occasum iam vergentis. Cùm præsertim nec P. Victor, nec S. Rufus in descriptione eiusdem regionis quartæ *Secretarium* huiuscemodi agnoscant.

Hinc deinde, quamvis legeremus *è Sacrario*, quam lectionem retinent disertiores Suetonij interpretes, adhuc dici potest *Sacrarium* non fuisse propriè locum sacrum, sed in quo sacra reponere solebât. Vnde ex sententia [a] Vlpiani in ædificio privato esse potuit. Et quamvis ipsemet [b] Suetonius *Sacrarium* alibi usurpet pro loco consecrato, Sacelloque: & Casaubonus loco, quem præ manibus habemus, *Sacrarium* interpretetur non tablinum, seu tabulariũ, & armarium, sed locum verè sacrum, & Augusto dedicatum: ubi scilicet eius imago haberetur, & coleretur ab uxore; magis tamen quadrat huic loco, & huic Aulæ interpretatio doctissimi Torrentij Præsulis Antuerpiensis, cui Suetonius *Sacrariũ* pro *Larario* tantùm dixisse visus est. Sed cùm Sacraria, seu Lararia huiuscemodi privatarum ædium etiã fuissent, nihil peculiare videtur habuisse domus Augustana. Quod verò extiterint in ædibus privatis non modò Romæ, sed etiã in provincijs apertè

a *l. sacra, D. de rerum divis.*
b *In Augusto cap. 5.*

aperte docet [a] Cicero primum contra Verrem: *Erat*, inquit, *apud Sesum sacrarium cum magna dignitate in ædibus*, deinde in epistola ad Memmium: *Qui habitat in tuo Sacrario*.

[a] *Cic. 6. ctr. Verrem, & lib 15. epist. ad Memm.*

Lararium verò erat locus ædium privatarũ, vel regiarum à profanis usibus semotus, in quo effigies, & imagunculæ Deorum, & aliæ res sacratæ reponebantur, prout cuique sua religio dictabat. Celebre fuit illud Alexandri Severi, quod ex Sacrarijs Ethnicorum Principũ mihi videtur propius accessisse, ad Sacella, quæ Principes Orthodoxi in suis Aulis deinceps habuêre: in quo, ut refert Lampridius in eiusdem vita, is Imperator rem divinam faciebat matutinis horis ante effigies Deorum: quibus etiã addidit CHRISTI & Abrahami simulachra. An adessent Imperatori sacris operanti Aulici Sacerdotes nihil addit Lampridius. Vnde solùm fuit locus Palatij remotus, & accõmodatus rei divinæ privatim peragendæ: eoque modo quo privatus quisque facere poterat.

VI. Superest illud [b] Poëticum, quod alicui probaverit in Aulis Principum Ethnicorũ extitisse Templa Palatina:

[b] *Virgil. lib. 4. Æneid.*

*Præterea fuit in tectis de marmore Templum,*
*Coniugis antiqui, miro quod honore colebat*
*Velleribus niveis, & festa fronde revinctum.*

Quod licet fictitium agnosci posset, ut plera-

que Poëtica, cùm tamen optimi Poëtæ (qualis censendus est eorundem Princeps carminum Auctor) decori memores nihil ferè loquantur, quod non quadret rei, de qua agunt, & mores maximè sui temporis, ad quos sæpè alludunt, repræsentet; aliud propterea respondebo. Non respexit hoc loco Virgilius ad morem aliquem Palatinum sui Augusti, aut alterius Principis; sed est locutus ut optimi, & veteres Latini, qui posuerunt *Templum* pro loco quovis, tractu, & habitatione. Ita non solùm illud usurparunt ad denotanda loca dijs sacra in terris, sed etiam pro cœlo ipso, & domo quavis hominum, loco quolibet etiam inferorum. Vnde Ennius, *Acherusia Templa orci salvete infera*, quem [a] Lucretius bis est imitatus. Idem Ennius: *Contremuit Templum magnum Iovis altitonantis*; quem bis iterum Lucretius est secutus. Qui propterea egregia tralatione palatū, *Templum linguæ* appellavit. Id verò veteres Latini effecere occasione etymologiæ. Nam *quaqua intuerant oculi*, ait [b] Varro, *à tuendo Templum primò dictum*. Quem recentiores sunt secuti. E quibus duo [c] asserunt, hoc loco, Templum à Poëta pro sepulchro usurpari. Respexère ad coniugis amorem, quasi verò Regina eo succensa, in Aula cineres mariti religiosè adservaret. Addunt alij non modò viris principibus, sed cuivis privato olim licuisse, quem vellet

a *Lucret. lib. 1. & 7. Idem lib. 2. & 5.*

b *Varr. lib. 6 de ling. Lat.*

c *Gifan. in Lucret. verb.* Templum. *Hortens. in l. 6. Virg.*

vellet vita defunctum ex suis consecrare, & illi eligere domesticum Templum. Eòque referunt alterius carmina, quibus mulier alia tres fratres mortuos, [a] *Tria numina* appellat. Sed prior interpretatio magis arridet; quam confirmat cultus, quo Regina Templum illud colere solebat. Nam velleribus niveis, & festa frōde floribusque ornare consueverat, qui cultus & ornatus ad sepulchra maximè pertinuit. Morem istum luculenter illustrat P. [b] Ludovicus de la Cerda, adductâ auctoritate pluriū Auctorum; Varronis in primis, qui potuit esse instar omnium. Nam clarissimè loquitur, & vixit ævo Poëtæ: ceteri subobscurè, & quidam multum ab eiusdem seculo distarunt. Porro verba [c] Varronis hæc fuere: *Itaque nunc ad sepulchrum frondes, & flores ferunt, lanas addunt.* Sed licet ex Poëtæ interpretibus nemo Templum pro sepulchro explicasset, non sineret nos addubitare Poëta ingeniosus, qui procul-dubio hunc Virgilij locum voluit exprimere, certè est imitatus, & in simili argumento, deq; ijsdem coniugibus, eâdemque Aulâ [d];

> *Est mihi marmorea sacratus in æde Sicheus,*
> *Oppositæ frondes, velleraq; alba tegunt.*

Vterque Poëta mutuò se illustrāt. Sed pluribus sumus immorati in profanis: ad sacra transeamus.

a Ovid. epist. Briss. ad Achill.

b Lib. 4. Aeneid.

c Varr. lib. 5 de ling. Lat.

d Ovid. epist. Did. ad Aeneam.

## QVÆSTIVNCVLA II.

### *An Reges Israelis Sacerdotes Aulicos habuerint?*

SED quid de eodem more in Ecclesia ante Christum? Planè ex sacris Biblijs posset ambiguum videri, an Reges Hebræorum Sacerdotes Aulicos habuerint, qui pro Principe sive publicè, sive privatim sacra facerent? Salomon quidem statim atque regnare occœpit officia domus Regiæ inter proceres distribuit, & viris benè de se, patreque meritis attribuit, Sed utrum inter illos Sacerdotes Palatini cẽseientur, res videtur subobscura. In primis enim numeratur, *Azarias*[a] *filius Sadoci Sacerdotis*. Sed quo officio functus fuerit, ægrè dignoscitur: & qui explicant sacra Biblia difficilè conveniũt. Planè [b] Dionysius existimat, Azariam fuisse Aulicum, & peculiarem domus Regiæ Sacerdotem, & appellat, *Quasi Regis Capellanum*, pro quo oraret & sacrificaret. Vnde legit, *Sacerdos*, non *Sacerdotis*. Ne quis scilicet illi obijceret Azariam non fuisse Sacerdotem, seu non functum munere Sacerdotis; sed denotari, tanquã filium (id est nepotem, ut annotãt [c] Vatablus, Sà & Pineda) Sacerdotis. Dionysio suffragatur Frãciscus [d] Lucas vir in sacris litteris versatissimus, qui asserit in octo manuscriptis legisse,

[a] *Lib. 3 Reg. cap. 4.*

[b] *Dionysius Carth. lib. 1.*

[c] *Vatabl. Sà, & Pined. lib. 5. de reb. Salom. cap. 13.*

[d] *Frãc. Luc.*

gisse, *Sacerdos*, quomodo legunt etiam Regia, Aldina, Lyranus. Ex alia verò parte cum Hebræa ex fonte Hebræo aliter habeant, nempè *Sacerdotis*; & consentiat Vulgata editio Latina cũ Paraphrasi Chaldæa, meritò dissentiũt Pagninus,[a] Vatablus, Caietanus: quorum sententiæ si non favent Septuaginta à Sixto emẽdati, certè aliorum interpretationi adversantur, cùm Azariam inter Salomonis Aulicos solùm recenseant, nec Sacerdotem, aut Sacerdotis filium appellent. Vnde [b] Salianus pronuntiat, & primam sententiam arbitratur probabilem, secundam verò probabiliorem; quã ego etiam tuerer: cùm præsertim [c] Abulensis, & Caietanus aliud officium Azariæ attribuũt, nempè Regij Scribæ. Vnde illum aggregant duobus sequentibus viris Palatinis Elioseph, & Aliæ, qui eodem munere fungebantur.

a *Pagni. Vatabl. Caiet.*

b *Salian. to. 3. ann. mũdi 3022. n. 124.*

c *Abulẽs. & Caiet.*

Nec deinde in Aula Salomonis Sacerdotes Regij fuère duo, qui ut Aulici eodem loco numerantur ijs [d] verbis: *Sadoc autem, & Abiathar Sacerdotes.* Vterque enim erat sacrorum Princeps, idest, Pontifex, qui erat in ea Republica apex sacrarum dignitatum. Sadoc quidẽ Pontificatum gerebat, Abiathar illũ gesserat: retinebat interea nomen & titulum, ut solent Episcopi, qui Episcopatu cedunt. Quod enim Pontificij omnes, hoc est qui Põtificatum gessissent, Pontifices adhuc vocarentur, retinentes

d *Lib. 3. Regum.*

ad

ad mortem usque nomen dignitatis semel susceptæ probat [a] Sigonius ex non paucis Iosephi locis. Vnde Sadoc, cùm tanquam summus Sacerdos publicè pro omni populo sacrificaret, non benè diceretur Aulicus & Regius Sacerdos. Sed cur numeratur inter Palatinos? Responderi certè potest, eo loci recenseri proceres Reipublicæ Hebræorum, & quòd eòdem recidit, domus Regiæ; qualis in primis Sadoc ut summus Pontifex censebatur. Quid quòd etiā ipse primarius Sacerdos subditus fuit Regię iurisdictioni; si vera autumat [b] Abulensis, qui sentit in veteri lege potestatē Ecclesiasticam à profana non fuisse distinctam? Quod maximè asserit cū dat causam; cur Salomon Abiathar Pontificē de summo Sacerdotio deiecerit? cuius doctrina tamen indiget aliquâ interpretatione; & dum omnem omninò iurisdictionem viris sacratis in lege veteri denegavit, meritò patitur adversarios [c] Theodoretum ex antiquis, ex Neotericis [d] Pinedam & Salianum.

Neque demum Zabud filius Nathan, qui inter eosdem Salomonis Aulicos Sacerdos & amicus Regis vocatur peculiaris, seu Palatini Sacerdotis officio fungebatur. Sacerdos enim illic vocatur non quòd ad Aaronis familiam, seu Tribum Leviticā pertineret; sed Sacerdos dicitur quasi vir Princeps, & Primarius in Aula Regia, ut de filijs Davidis subsequente

ca-

[a] *Sigon. li. 5. de Rep. Hebr. c. 2. ubi cur S. Lucas duos summos Sacerdotes faciat Annam, & Caifam. Cui adhæret Salian. l. c. non probans sententiā Abulensis & Pinedæ.*

[b] *Abulens. q. 28. in lib. 3. Reg. cap. 2.*

[c] *Theodor. q. 9. l. c.*

[d] *Pined. lib. 5. de reb. Salom. cap. 15. num. 7. Salian. anno mundi 3022. num. 15.*

capite dicemus, & non absimili occasione.

Verùm ego quòd attinet ad hanc disquisitionem, an Reges Israëlis Sacellum & Sacellanos Aulicos habuerint, duo adderem. Primò certum est non habuisse in domo Regia Tẽplum Palatinum: unicum enim, & idem celeberrimum extitit in Republica Iudaica. nã in lege erat traditũ, ut uno tantùm in loco Deus coleretur: quod Templum Salomon primus magnificentissimè extruxit. imò cũ duo, licèt in diversis regionibus processu temporis extarent, & dissentirent Hebræi, in quo esset sacrificandum, necesse fuit, ut de ea controversia suum iudicium interponeret Ptolemæus Philometor: causam & finem controversiæ prosequitur [a] Iosephus. sed quod maximè facit in rẽ nostram est illud, quod observant interpretes sacrarum litterarũ; maximè [b] Pineda & Villalpandus [c] dum delineant Palatium Salomonis, & situm eius Regiæ dilaudant. Nam curaverat Salomon, ut inter cætera commoda hoc etiam haberet, ut nimirum Regi adeundi Tẽpli commoditatem præberet propter loci vicinitatem. Vnde illam iuxta Templum ædificavit, & ad latus eius meridianum. Et licèt interponeretur vallis dicta *Tyropæon*, seu Vorago civitatis David, adhuc facilis fuit transitus, imò viâ compendiariâ per ædificium Mello dictum, quòd instar pontis erat pa-

[a] *Iosebp. lib. 13. antiquit. cap. 6.*

[b] *Pineda de reb. Salom. lib. 5. cap. 6. num. 2. & 3.*

[c] *Villalp. to. 3. p. 2. lib. 2. cap. 8. & lib. 3. cap. 20.*

ri ferè structurâ excitatum, quâ Tépli substructiones. Hanc Aulæ, & Regiæ vicinitatem confirmant varia loca sacrorum Bibliorum. Nam Athalia, ut observat [a] Salianus, ex Regia audivit vocem populi clamantis in Templo: *Vivat Rex*. Licet Sacer Codex magis indicet hoc auditum ab Athalia, dum clamaret plebs extra Templum. Nam subdit: *Quod cùm audisset Athalia vocem scilicet currentium, atque laudantium Regem*. Quæ acclamationes potius videntur factæ in compitis, & ante Templum à discursantibus. Magis declarãt utriusque loci vicinitatem milites dispositi à Ioiada Pontifice ad Athaliam de solio Regni, quod occuparat, deijciendam; & locus in quo eandem peremerunt post extractam è Téplo, ad quod convolarat vociferãdo: *Insidiæ, Insidiæ*: fuit enim occisa illico extra septa Templi, & in porta equorum domus Regiæ. Non me latet processu temporis in populo Hebræo extitisse, præter Templum, [b] Synagogas, quæ licet Templa nõ fuerint, aliquid tamẽ Templo simile habuerunt: quarum usus fuit frequentissimus, maximè ubi Templum non extabat. Attamen Synagogæ istæ nonnisi post exilium Babylonicum ortum habuere, nec vetustior origo celebratur: cùm nullam illarũ memoriam in libris Iudicum & Regũ habeamus. Esto Iudæi post reditũ ex Babylone earundẽ usum retinuerint.

[a] Salian. to. 3. ann. mũdi 3030. n. 50. 52. 2. Paralip. cap. 23. vers. 12. & 13.

[b] Sigo. de Repub. Hebra. lib. 2. c. 8.

De-

Deinde quod ſpectat ad alteram dubitationis partem, an ſaltem Reges Iſraëlis habuerint peculiares Sacerdotes; qui publicè, & in Templo pro illis ſacra facerent: aio, Salomonem peractâ dedicatione Templi conſtituiſſe, ut Sacerdotes omnes, & Levitæ in xxiiij. claſſes diſtributi per vices, & in orbem ſacris operarentur, eo ordine, quo pater David edocuerat, quæ diſtributio ad omnes pertinuit: ſi qui fuiſſent ipſi Regi à ſacris domeſticis, non reticuiſſent ſacræ Litteræ, & qui enucleant ex ijſdem ritus omnes, & mores eius Reip. & minutiſsima quæque: qualis eſt Sigonius cum primis, qui ad ſua commentaria de Rep. Hebræorum conficienda octies ſacra Biblia relegit.

Si qui tamen Sacerdotes, & Levitæ in veteri lege & Regno Iudæorum Aulici, & Regij eſſent dicendi illi quoquomodo tales appellari poſſent, qui ea ſacra faciebant, quæ Salomō anniverſaria conſtituit, & ſumptibus, quos ex ſuo ærario attribuit ad peragenda [a] ſacrificia Paſchæ: Pentecoſtes, & Scenopeghiæ, tum ad celebrandos dies Sabbathi, & Calendarum: unde dici poſſet, Salomonē fortaſſe regios, & peculiares Sacerdotes deſignaſſe, ſeu ſelegiſſe ad obeunda ſacra ante dicta item regia, quæ anniverſaria ipſe inſtituit: Sed hoc ſolâ coniecturâ poſſumus aſſerere. nam ſacræ Litteræ de ſacrificijs, quæ Regia dici poſſent, meminere:

[a] 2. Paral. c 8. verſ. 12. Caietan. Salian. ann. mūdi 3030. nu. 43.

de

de Sacerdotibus (qui tales etiam audirent) nihil addunt. sed ad rem nostram, hoc est ad Ecclesiam post Christum.

## QVÆSTIVNCVLA III.

### *De Origine in Aulis Principum Christianorum.*

3 QVÆSTIO hæc duplicem statum habere potest. Nã originem Regij Sacelli, & Aulicorum Sacerdotum in Aulis Principum Orthodoxorum possumus indagare generatim: nimirum quando primùm in Aulis Regũ, & magnorum Principum incœperint peculiares Sacerdotes rem divinam facere? Secundò quãdo *Capellani* appellati eadem sacra mysteria peregerint? Primam repetere possumus absque controversia usque ab aureis Constantini M. temporibus. Nam Princeps ille ter maximus simul atque abiurata Gentilium superstitione Fidem Orthodoxam totis ulnis est amplexus, Sacerdotes peculiares habuit, qui rei divinæ faciendæ præsto essent; & quò iret comitarentur. Vnde Clericos Aulicos, & Palatinos, sive etiam castrenses, & militares, exigente occasione, iam tum exprimũt nobis omnes ferè quotquot ex Græcis Ecclesiasticam historiam scripsere. Etenim non iniucundum, ne-

neque obscurum vestigium huius moris in Aula, & in castris Constantini observare possumus ex historia Tripartita: & qui eundem non leviter adumbrant Socrates, Sozomenus, Nicephorus, Eusebius recensentur: qui omnes vel ex occasione, vel ex instituto res gestas Constantini suis scriptis consignarunt.

4 Porrò tradunt Imperatorem illum ubicumque locorum esset portatile Sacellum habuisse: quod circūferebat, ne ipse, neve qui ipsum comitabantur sive in itinere, sive in castris sacrario carerent, ubi Deum colere, & Missæ sacrificio possent interesse. Tabernaculum ipsum Sacerdotes peculiares sequebantur, qui iuxta statas Ecclesiæ cærimonias sacra obibāt. Ijs præerat, opinor, vice summi Sacellani Antistes aliquis ex multis, qui neque abesse solebant è castris Constantini: & quos ipse Imperator suis consilijs participabat. Ita præsertim effecit moturus contra Persas. Vnde Episcopi de eo bello consulti expeditionis consilium laudarunt, fidemque suam obstrinxerunt, sese nunquam è latere sui Principis discessuros, & unà cum eo militaturos (sed declarant bellandi genus, & quæ arma essent adhibituri) atque precibus ad Deum certaturos: hæ quippè adversus hostes plus continent roboris, quàm quælibet pugnandi instrumenta. Ex Auctoribus laudatis fusior hæc omnia

C pro-

a *Euseb. lib. 4 de vit. Cõstant. c. 56.*

prosequitur [a]. Eusebius in vita eiusdem Constantini. Illud maximè, quòd ardua quæque facinora aggressurus Episcopos consulere solebat. Ac de Sacello in ipsamet Regia cõstructo hæc subiecit, postquam de Constãtino præclara & magnifica tradiderat [b]: *Sed his quidẽ multò magnificentiora contemplari potes, si animadvertas, quemadmodum in ipsis Regijs Ecclesiæ formam instituerit.* Atqui hoc domi: quòd verò etiam foris Sacellum portatile habuerit, alijs verbis expressit; è quibus habe hæc pauca: *Tabernaculum interim ad Ecclesiæ similitudinem magnificentia faciendum curavit: in quo Deo victoriarum datori ipse cum Episcopis supplicaret.* Quos autem fructus Princeps ille inde referret, alibi [c] declarat idẽ Scriptor, sed in eâdem vita. Scribit enim, Cõstantinum in eo Sacrario antequàm prælia iniret Deo vacasse: unde prodire solebat in hostes concitatior, ceterum naturâ suâ cunctabũdus. Quò etiam sunt referenda loca duo Sozomeni & Socratis. Vtrumque exscribam; quia rem nostrã mirificè illustrant. Primus [d] enim tùm ædem Palatinam, cùm Sacellum castrense non paucis describit: *In Palatio*, inquit, *item extruxit Ecclesiam: & Tabernaculum Ecclesiæ figuram exprimens, cùm contra hostes prælio contenderet, secum circumferre consuevit: ad eum finem, ut neque sibi in solitudine vitam agenti, neque exercitui deesset ædes sacra; in qua quidem deberent*

b *Idem ibid. lib. 4. cap. 17.*

c *Idem ibid. lib. 2. c. 12. & 13.*

d *Sozomen. lib. 1. cap. 8.*

*Deum laudibus efferre, precibus sollicitare, & sacra mysteria percipere. Nam Sacerdotes & Diaconi, qui secundùm Ecclesiæ institutum ista munera obirent, Tabernaculum assiduè secuti sunt.* Hactenus Sozomenus: qui præterea narrat ex eo milites & legiones, qui vocabantur Numeri Sacerdotes etiam distinctis Tabernaculis habuisse. Alter [a] verò idē confirmat, verba faciens de Cōstantino, aitque: *Porrò tanto desiderio, ac studio erga Religionem Christianam inflāmatus erat, ut cùm esset bellum contra Persas gesturus Tabernaculum, quod Ecclesiæ formam & effigiem exprimeret, sicuti Moyses in deserto fecerat, ex velamine variato confecerit; illudq́ secum portandum curavit; quò in locis etiam desertissimis ædem sacram ad orandum decorè paratam haberet.* Atque hæc est prima origo Sacerdotum, quos Aulicos, Palatinos, Castrenses etiā, & Militares dicere possumus, prout postulat occasio, & paratos sequi suum Principem:

*Sive in extremos penetrabit Indos,*
*Sive trans altas gradietur Alpes.*

Et in Imperio Romano nondum in partes distributo. Cōtigit autem anno Christiano 320. circiter.

5. Altera verò, quando scilicet Sacerdotes eius generis *Capellanos* appellarunt, longè inferioribus temporibus apparuit. Nempè, ut nonnulli autumant, ætate Caroli M. cùm primùm

a Socrates lib. 4. cap. 14

iacta sunt fundamenta Imperij in Occidente, & Carolovingij regnare occœperunt. Verùm ego paulò altiorem eam originem repeterem; idest, ante dominatum horum Regum, & stante adhuc rerum summa, licèt titulo tenus, apud Merovingios.

Hic mihi eam eruditionis copiam optarem, quâ tueri possem viri doctissimi sententiã de hac re, de qua agimus. Is est Iulius Cæsar a Bulengerus, qui in parva appẽdice de officijs Regni Galliæ absque ulla verborum ambage asserit, Reges Merovingios habuisse quidem in Aula, & comitatu peculiares Sacerdotes, qui rem divinam facerent, non autem dictos *Capellanos*: quasi verò sub Carolovingijs primùm ita fuerint dicti. Verùm hoc ægrè defendi potest; & qui contrarium astrueret, citra reprehensionẽ Bulẽgero adversaretur. Cuius ego nomini plurimum defero, tum ob variam, addo & solidam (quicquid alijs videatur) eruditionem, cùm ob vitæ institutum, quod nuperis annis arripuit. Nam, ut audio, nomen dedit Societati IESV, de re litteraria, & Christiana benemerentissimæ: sed in hac re vir doctissimus parum videtur inspexisse.

a *Buleng. in appẽd. de off. Regni Gall.*

Nam Sacerdotes Aulici etiam in Imperio Merovingiorum, quæ fuit prima stirps Regum Francorum, *Capellani* sunt vocati. Ac primùm meæ sententiæ adstipulatur notio ipsa, quam de-

dedimus Capellanorum. Si enim à cappa Divi Martini ita sunt dicti, & Vir ille sanctissimus ultimum diem clausit quadrigentis ferè antè annis quàm Carolovingij Regnum sunt adepti ( quæ temporum series Chronologos nō latet, & quæstio celeberrima de anno obitus D. Martini inter viros doctissimos vel addit, vel adimit perpaucos annos de hac summa) perdifficile est opinari Reges Francorum, qui à Meroveo descendentes ( unde Merovingij sunt dicti) interiecto tempore regnarunt, non habuisse in Aula Sacerdotes *Capellanos* etiã vocatos: si ipsi etiã, ut credere par est, imò tradunt Scriptores disertis verbis, D. Martini *cappam* prætulere in prælijs quasi vexillum: à qua Regum Sacerdotes & custodes eiusdem vestis cognomentum accepere. Certè à Clodoveo, qui primus è Merovingijs fidem nostrã est amplexus, ad Carolovingios trecẽti paulòminus anni effluxere. Deinde mihi suffragatur, quod refert non contemnendus [a] Auctor; nimirũ se legisse in veteri manuscripto, cui erat titulus: *Gesta Pontificum & Comitum Angolismensium.* Aptonicum Angolismensis Ecclesiæ Episcopum anno salutis restitutæ 500. Capellanum fuisse Clodovei. Is verò erat è Merovingijs, qui præterea ducentos alios & quinquaginta annos in Gallijs regnarunt. Licèt is Auctor, linguæ Latinæ scrupulosior quàm par est, verba

[a] *Rhenat. Chopp. lib. 3 de sacr. Polit. ti. 4. n. 11.*

manuscripti ipsissima non afferat; sed tantummodo vocet Aptonium Regis Sacellanum, an codex ille *Capellanum* haberet, ignoramus.

Illud etiam controversum esse vidimus, ut tū vox *Capella*, apud Auctores Ecclesiasticos fuerit in usu, & paucis post annis ab obitu D. Martini; quâ, ut alibi diximus, est qui asserat, usum fuisse Evodium, & in sensu ibidem explanato.

6. Sed licet hæc non sine aliqua probabilitate dicantur, duo tamen suppetunt argumenta, quæ Bulengerum omnino arguant absurdi, & erroris. Primùm locus est ex commentarijs Adelmi [a] Benedictini, quæ inseruntur post librum quartum Aymonij de gestis Francorum. Ex quo ediscimus, adhuc regnante Childerico, qui fuit ultimus Merovingiorum, Capellanum nescio quem Romam missum ad Pontificem Romanum, qui tunc erat Zacharias; qui cùm ageret de exauctorando eodem Rege, & Pipino sufficiendo (suum locum historia hæc habet) id contigit anno 749. Pipinus verò non nisi consequenti, habitâ Pontificis auctoritate Rex est salutatus, & primus numeratur inter Carolovingios: ante quos licet ex hoc loco observare non modò usum, sed etiam nomen *Capellanorum*.

Secundum argumentum est locus alter efficacior ad Bulengerum redarguendum, & est desumptus ex ea [b] Synodo, in qua præfuit S. Bo-

[a] *Adelm. Bened. post lib. 4. Aym. de gest. Franc.*

[b] *Concil. Ratisb. vel August. Vindelic. ann. 742. tom. 3. Concil. part. 2.*

Bonifacius Germaniæ Apostolus, & Carolomannus, is, qui posteà in cœnobiũ secessit habitu, tonsuque Monachus, & frater fuit Pipini, qui post aliquot annos primus, ut modò dixi, regnavit post Merovingios. Habita fuit hæc Synodus Ratisbonæ, vel Augustæ Vindelicorũ anno 742. in qua habetur expressa mentio *Capellanorum*, id est, Sacerdotum, qui erant in comitatu Principum, seu Regum: at qui primus è Carolovingijs Regni est potitus, Pipinus fuit, & octo post annis, quàm ea Synodus celebrata fuerit. Si quis verò pro Bulengero contendat *Capellanos*, qui in ea Synodo memorantur, non Regis fuisse, sed Carolomanni, qui ibidem Princeps vocatur: & *Capellani* ipsius Principis fuisse perhibentur; hoc ipsum adversarijs repono. Nam cuiuscunque illi fuerint, ex eo loco constat liquidò, nomen Capellanorum in usu extitisse adhuc regnante prole Merovingiâ. at tales primùm sunt dicti, ut abũdè probavimus, Sacerdotes Regum. Quòd si consequenti tempore Reguli minores, & regni Dynastæ domesticos Sacerdotes, *Capellanos* etiam vocarunt, id effecêre, ut in dies videmus, Regum æmulatione, & vocabulo ab Aula petito.

7 Verùm, ut Bulengerum excusemus, esto usus, & nomen *Capellanorum* fuerit antiquior Regno Carolovingiorum; attamen qui primi de ijs meminere, sunt duo eiusdem familię Re-

ges Carolus M. & Ludovicus filius, qui in suas leges capitulares fragmentum Synodi citatæ retulere: & planè duobus in locis ea mentio habetur. Primus locus in inscriptione legis laudat Synodum: alter verò est tanquam lex ab ipsismet Regibus lata ex collectione Ansegisi Abbatis, & Benedicti Levitæ. In utroque ijsdẽ penè verbis militię vacationem ordini Ecclesiastico concedunt, vetantque bellica munera: *Servis Dei*, inquiunt [a], *per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & hostem pergere omnino prohibemus: nisi illi tantummodo, qui propter divinum mysterium Missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt. Idest unum, vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris Princeps secum habeat, & unusquisque præfectus Presbyterum.* Quæ verba ex secundo Capitulariũ loco transcripsi: & ex ijs collige Presbyteros, qui dicebantur *Capellani*, Principi fuisse designatos; præfectis verò alijs minoribus, meros Presbyteros. Quod adiuvat aliam observationem de re eâdem, & occasione nominis, si rectè memini.

[a] *Carol. & Ludov. lib. 5 Capitul. c. 2. & lib. 7, ca. 91.*

8. Item observa pium Principum morẽ gestandi in bellicis expeditionibus sacra pignora Sanctorum, id est reliquias, ut explicat [b] Filesacus in querela Ecclesiæ Gallicanæ ex loco alio Capituliariũ: ante quem idem adnotaverat Baronius [c] in notis ad Martyrologiũ Romanum

[b] *Ioan. Filesac. querela Eccles. Gall. ex capit.*

[c] *Baron. in notis ad Martyrolog. Roman. die 2. Iunij.*

num occasione huius loci, quẽ præ manibus habemus, & auctoritate Gregorij Turonẽsis, quo loco in sua historia dixit de [a] Chilperico: *Reliquijs multorũ Sanctorũ præcedẽtibus urbẽ ingressus est.* Quod Reges illos effecisse in quibuscũq; itineribus videtur Baronius sentire loco laudato.

9 Præterea, ut in viã redeamus, Sacelli Regij crebram mentionẽ habemus apud Monachum Sangallensem veterem Scriptorem vitæ Caroli M. quem Auctorẽ cum alijs debemus Henrico [b] Canisio de antiquitate Ecclesiastica benemerenti, ut eum appellat idem [c] Baronius. Atq; de Capellanis Regũ meminit Cõcilium [d] Moguntinũ: cùm enim clericos in tria genera distingueret; alios dixit sub Episcopi cura degere, alios Abbatibus subijci, nonnullos esse *in servitio domini Regis*, ut loquitur. Cæteri verò qui Acephali, & vagi cursitabant illic damnãtur. Quos etiam cõdemnat Conciliũ [e] Aquisgranense sub Ludovico Pio celebratũ; & quidem ex Isidoro [f] Hispalẽsi in libro de officijs. Demum de Aulicis & Palatinis Sacerdotibus expresśius loquitur Concilium [g] Parisiense, atque eâ occasione, quam suo loco aperiemus.

Sub prælo sudabant nostra scripta, cùm incidi in Canonẽ tertium, & trigesimum octavũ Concilij [h] Francofordiensis, antè citatis Synodis antiquioris: cuius Canones nunquam antea editos superiori anno evulgavit Iacobus [i] Sir-

a Greg. Turon. lib. 6. hist. Franc. cap. 27.

b Hẽric. Canis. to. 1. antiq. lect.

c Baron. in Append. x. tomi.

d Cõcil. Mogunt. cap. 22

e Concil. Aquisgr. sub Ludov. Pio cap. 101.

f Isidor. lib. 2 de offic. c. 3.

g Concil. Paris. lib. 3. cap. 19.

h Celebratur ann. 294. Caroli ann. 26.

i Iacob. Sirmond. to. 2. Cõcil. Gall.

Sirmondus ex codice Rhemenſi. Ex utroque obſervamus *Capellam* & *Capellanos* in Regno Occidentis: nec ſunt occaſiones reticendæ. Nã tertius canon habet; Carolum Magnum poſt condonata delicta Thaſsiloni Duci Boiorum (quæ in eodem Concilio eſt confeſſus habitu, tonſuque Monachi; quem ſexenniũ erat profeſſus) iuſsiſſe, ut eius veniæ triplex diploma conficeretur; atque ut ex ijs unum in Palatio ſervaretur, alterum ipſi Thaſsiloni daretur, tertium in *ſacri Palatij*, ut habet canon ipſe, *Capella deponeretur*. Quæ proinde videtur fuiſſe quaſi quoddam Tabularium Regiorum codicillorum. Sed alter canon, nempe trigeſimus octavus, Capellanos apertis verbis deſignat: arcet enim à convictu, & conſuetudine Aulicorum Sacerdotũ clericos refractarios, adeòque anathemate à ſuis Epiſcopis percuſſos, niſi fuerint Eccleſiæ vinculis ſoluti. Canon ipſe hæc eadem habet, licet alijs verbis: *De presbyteris, qui contumaces fuerint contra Epiſcopos ſuos, ut nequaquam communicent cum Clericis, qui in Capella Regis habitant: niſi reconciliati fuerint ab Epiſcopo ſuo: ne fortè canonica excommunicatio ſuper eos exinde veniat*: ideſt, ſuper Capellanos, qui in Aula ſacra peragebant.

Atque hi fuêre viri ſacrati, qui Principem tùm tempore belli & negotij, quò pergeret, comitabantur, causâ rei divinæ faciendæ; cùm etiam

etiam tempore pacis, & otij in Aula sacris operabantur. Porrò iisdem, ne incurrerent in reprehensionem Concilij Moguntini, & Acephali audirent, unus præerat cum summa potestate: quem in Imperio Occidentis Archicapellanum usitatiore vocabulo appellarunt; licèt ibidem, & alibi aliter fuerit dictus. De quo primùm subtexemus quicquid ex sacris præsertim monumentis colligere potuimus; ut ex capitis excellentia reliquæ huius corporis partes dignoscantur.

## NOTÆ.

10 *IN Hispania mentio Sacelli Regij quæ prima?* 11. *In Aulis Regum Suevorum, Gothorum, Castulonensium. In Concilio Lucensi quid sit familia Regia?* 12. *Loaisæ opinatio?* 13. *Reijcitur.* 14. *Sacerdotes Aulici adumbrati in Concilio Toletano VII.* 15. *Pietas Principum Gothorum etiam in Ethnicismo.* 16. *Theodorico an præsto fuerint Sacerdotes Palatini?* 17. *Sanctus Eugenius Tertius an Sacellanus Aulæ Gothicæ antequàm Monachus?* 18. *Sacellum Aulæ Gothicæ cui dicatum?* D. Leo-

Pro Capella Aulæ Hispanæ.

*Leocadiæ ſepulchrum. 19, Lex Hiſpana de Capellano. 20. Diſpoſita de maiori pertinent etiam ad minorem.*

10 SVBORITVR maior difficultas in indaganda origine Sacelli Regij in Hiſpania. Nimirum quando primùm in hac Chriſtiani orbis parte peculiares Sacerdotes rem divinam fecerint in Aula;& quis locus fuerit in ædibus Regijs ſacris functionibus attributus? Obſcura res eſt, quam difficilè vel coniecturâ aſſequi poſſumus.

11 Verùm ut hac difficultate impediti, quoquomodo extricemur, diviſione opus eſſe aio. Etenim in Hiſpania tres potiſsimum Regias familias diſtinguerem è vetuſtiſsimis. Prima eſt Regum Suevorum, altera Gothorum, tertia Legionenſium & Caſtulonenſium. Hac diſtinctione conſtituta audacter aſſero, Sacellum & Sacellanos Regum Hiſpanorum benè contendere cum reliquis Sacerdotibus Aulicis, & æde Palatina cæterorum Principum (ſi unum excipias Conſtantinum) illos enim vel vetuſtate anteit, vel certè æquat. Etenim uſq; abs temporibus Regum Suevorum effloruit in Hiſpania Regium Sacellum: qui Reges in ea potiſsimum Hiſpaniæ parte ſunt dominati, quæ Gallæcia antiquitùs dicebatur. Locus, qui rem noſtram probet, eſt inſignis in Concilio

lio [a] Lucensi: planissimè favet nostræ assertioni, quod Concilium anno Christi 567. Era Hispana 605. fuit coactum in ea regione, & regnante Theodmiro, seu Miro, ut alij vocant, Suevorum Rege Orthodoxo. Porrò dum Cōcilium suas singulis Episcopis Diœceses attribuit, Episcopo Dumiensi Regiam familiā assignat. Hæc sunt verba Concilij, & trāscripta ex veteri Ovetēsi manuscripto, qui Itacius dicitur: *Ad sedem Dumiensem familia Regia*. Quo testimonio doctè fecit, qui usus est doctus vir ad asserendam Capellæ Regiæ exemptionem a iurisdictione Episcopi diœcesani. Quamobrem non caret probabilitate tunc tēporis Sacellum Regium effloruisse. Neq; est credibile Dumiensi Episcopo profanā tantùm Regis familiam attributam; nam sacratos viros accessisse quis addubitet? Neque etiam adducere in disceptationem debemus, an Theodmirus in Aula & comitatu Sacerdotes habuerit, qui rei divinæ faciēdæ præsto essēt. verè enim Orthodoxus fuit, atq; in Religione & pietate Christiana abūdè instructus à viro doctissimo, & sanctissimo Martino [b] Dumiēsi (in divorū numerū is est relatus) qui primus fuit Cœnobij Dumiensis, quod ipse ædificarat, Abbas, & eiusdē urbis deinde Episcopus. Hoc duce & suasore Theodmirus Conciliū Lucēse cogendū curavit, ita dictum à Luco urbe, in qua est habitū.

[a] Concil. Lucens. ex collect. Garcia Loaisæ, Concil. Hispan.

[b] Mariana lib. 5. de reb. Hispā. c. 12.

Atque

Atque cò collimavit Regis pietas, & Antistitum conventus, ut res sacra, & quæcunque ad religionem Catholicam pertinerent, ritè & ordine peragerentur. Vnde facilè animum inducere possumus, ut credamus, Martino Dumiēsi Episcopo & Regis amicissimo Regium Sacellum, & Sacellanos Aulicos subditos fuisse, & attributos. Huic enim & Rex & gens subiecta salutem spiritalem acceptam referebant: hunc venerabantur tanquam è cælo delapsum, & sanè virū tum sanctitate insignem, cùm doctrinâ conspicuum: cuius ad nostra tēpora usque opuscula quædam sunt circumlata nomine Senecæ ob styli, & acuminis vicinitatem.

12 Nolo tamen silentio præterire hanc primam Capellæ Hispanæ originem, & prærogativam dubiam reddi variâ quâdam lectione eiusdem loci, adducti è Concilio Lucēsi: nam loco verborum, *Ad Dumiensem familia Regia*, aliter habet, idest, *Ad Dumiensem familia servorum*. Densiores tenebras offundit conciliatio viri doctissimi [a] Garciæ Loaisæ (cæterùm de Capella nostra optimè meriti, cui olim ipse præfuit cum summa potestate maioris Capellani) dum suis notis Concilia Hispaniæ illustrat; idque præstat egregiè. Etenim in notationibus Concilij Lucensis: *Dumio*, inquit, *monasterium prope Bracaram singularis observantiæ in His-*

[a] *Garc. Loaisa in notis Concil. Lucensis.*

*Hispania à Martino ædificatum, & cuius ipse primus fuit Abbas & Episcopus, & ob eius honorem in Episcopalem sedem erectum. Hodie Templum extat miræ antiquitatis: de quo abundè ab historicis nostris est scriptum. Attribuitur ei Familia Regia, hoc est regimen Sanctorum Monachorum: nam ipsi sunt de Regia familia: & alibi dicitur familia servorum qui* CHRISTO *Regi summo dicati studium omne in cultu Religionis & pietatis collocant.*

13 Verùm cum bona venia viri doctissimi non tanti videtur facienda hæc conciliatio, ut à nostra coniectura recedamus: quæ nullo modo à Loaisa labefactatur, si nullam addat efficaciorem rationem. Nam quod nomine Regiæ familiæ Monasticam intelligat; quæ dum servit Deo summo Regi, regnare perhibetur, infirmior cõiectura est; quàm ut distorqueat sensum, & verba manuscripti Ovetensis, quæ disertè habent *Familiam Regiam*. Advocare etiam possum adversus Loaisam præter manuscriptum Ecclesiæ Toletanæ, quod ab Ovetensi non dissentit, nobilissimos quosque Hispaniæ Scriptores, quos fortasse ille non legit, cùm à nobis omnes stent. In primis magnum Chronicon Hispaniæ, quæ nuncupatur [b] Historia generalis, collecta iussu Alphonsi Regis cognomento Sapientis: hæc enim verba habet Latinè facta. Episcopatus Dumiẽsis, qui subditur Brachatensi, subditam habeat ditionem Re-

*Hist. gener. p. 2. c. 49. fol. 252.*

Regis (Hispanè *La tierra del Rei*) neque aliud nomine ditionis Regiæ intelligere possumus, quàm Aulam ipsam, adeoque familiam Regiam. Certum enim est denotari particulam aliquam Regij dominatus ab cæteris ditionibus distinctam; quæ soli Episcopo Dumiensi angustis Diœceseos limitibus subdebatur. Locuplerius est testimonium [a] Ambrosij Morales Hispanorum Scriptorum diligentissimi (quâ laude à Baronio non semel cohonestatur) nam pluribus verbis eam divisionẽ Diœcesum Hispanarum (quæ fuit altera à prima facta tempore Constantini) pluribus verbis enarrat & dilaudat: approbat præsertim subiectionem familiæ Regiæ Episcopo ab alijs distincto, cumque morem optat suâ tempestate revocatum: de qua re non semel egisse ait cum D. Ludovico Mantico tunc summo Philippi II. Sacellano. Ad hæc subdit congruenter etiam familiam Palatinam fuisse attributã Episcopo Dumiensi; cùm huius Diœcesis angustissimis finibus includeretur: erat enim contermina Bracharæ; imò eiusdẽ urbis Diœcesi circumdata. Sed ego suprà, id potius datum existimavi Martini viri sanctissimi reverentiæ. Ante Ambrosium Morales ferè idem tradiderat Lucas Tudensis: & ex recentioribus prodidere etiam Freitas, [b] Padilla, aliijq; qui Dumiensi Episcopo familiæ Regiæ, hoc est

a *Ambros. Moral. lib. 22. cap. 50.*

b *Padilla in Hist. Eccles. cent. 6. c. 47.*

est Aulicæ, non Monosticæ, curam fuisse creditam, conscribunt.

14 Sed ad Gothos trãseamus, qui post Suevos debellatos in Hispania regnarunt. Quantũ legere potui in monumentis rerum Hispanicarum tam sacris, quàm profanis, & sub Gothorum dominatu nullam inveni expressam mentionem Sacelli Regij, & Sacellanorum, qui in Aulis eorum Regũ sacra mysteria peregerint. Vestigium tantùm huius rei observavi in Cõcilio [a] Toletano Septimo. Ex quo fortasse deprehẽdere possumus quod inquirimus. Meminit Concilium quorundam Sacerdotũ, quos ab Episcopis distinguit, aitque solitos astringi iureiurando, sese Regi semper fidos affore; neque suam operam cuique accõmodaturos ad Regem ipsum de solio deturbandum (quæ fuit occasio exhibiti sacramenti.) Quamvis autem asserat Concilium omnes ferè Hispaniæ Sacerdotes iureiurando obstrictos fuisse, illud tamen aliam ob causam præstitere. Neque enim est verosimile omnes omnino Sacerdotes Regis exauctorandi, & de solio deijciendi potentiam esse nactos. Quòd si qui per summam perfidiam id efficiebant, sacris illic interdicuntur. Hâc coniecturâ adducti suspicari possumus, Sacerdotes eius generis, qui iusiurandum Regi iurabant, Aulicos fuisse: cùm in Aulis aliorum Regum

[a] Concil. Tolet. 7. cap. 1.

Sacellani Palatini id præstiterint, ut luculentis Scriptorum testimonijs suo loco comprobabo. Verùm hæc observatio conjecturæ fines nolo transiliat.

15 Sed ut Aulicos Sacerdotes Regum Gothorum dubitanter assero ex hoc loco Concilij Toletani, ita audacter astruo inspectâ Religione & pietate eorum Regum, simul atq; rejectâ hæresi Arrianâ verè Orthodoxi audierũt. Quis ambigat an habuerint in Aula & comitatu peculiares Sacerdotes, qui rem divinã ipsismet Regibus facerent, & statas cæremonias obirent ritu Christianæ Religionis, quã nimiũ quantum illi provexerunt? (argumento sint tot Concilia Toletana curâ & studio eorundem Regum celebrata) Quòd si memoria Sacelli Regij planè non extat, res est tribuenda vel tẽporum injuriæ, vel Scriptorum incuriæ.

Sed omnem dubitationem, omnemq; scrupulum eximet quod subijciam. Quis addubitet, an Gothorum Regibus Orthodoxam fidẽ jam colentibus adfuerint domestici Sacellani, cùm ejusdem gentis Principes vel Gentilitatis tenebris oppressi, vel ijs aliquãtisper discussis, hæreseos tamen labe infecti, viros sacratos habuerint superstitionis, & religionis, quam profitebantur, administros?

Qui legerit Iornandem sive Iordanũ Episcopum Ravennatẽ de rebus Geticis, is cõpe-

riet Gothorum gentem feram adhuc, atq; barbaram ope, & sapientiâ Dicenæi Boroistæ traductam fuisse ad cultiorem & humaniorẽ vitam. Hic enim rem tum sacram, cùm profanam optimis temperavit institutis. Gothos edocuit liberales disciplinas: ex ijsdẽ nonnullos sacris initiavit; fecitq; Sacerdotes divinis ministerijs addictos: domos etiam peculiares, atque à profanis usibus discretas, ad habitandum dedit. Hos porrò vocavit Pileatos à tegumento capitis, quod gestandum dedit. Subijciã pauca ex multis, quæ habet [a] Iornãdes: *Elegit namque ex eis* (Gothis Dicenęus) *nobilissimos prudentiores viros, quos Theologiã instruens, Numina quædam & Sacella venerari iussit, fecitq; Sacerdotes nomen illis Pileatorum contradens, ut reor, quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus, litabant, &c.* Præterea ubi è vivis excessit Dicenæus, alius est suffectus in ea gente Princeps, qui pari curâ rem divinam procuraret. [b] Iornandes alijs verbis illum designat: *Decedente verò Dicenæo pene pari veneratione habuere* (Gothi) *Comosicum, quia nec impar solertiã. Hic etenim & Rex illis, & Pontifex ob suam peritiam habebatur, & in summa iustitia populos iudicabat.* Si eius Gentis Principes curã tam impensam rebus sacris adhibuere; si subditos ipsimet in Religione instruxerunt, non procul à veritate aberit, qui

[a] *Iornãd. de reb. Gothic.*

[b] *Iornãd. in ead. hist.*

 sibi

fibi,& alijs perfuaferit eofdem Principes domi habuiſſe Sacraria, Sacella, ædiculas, & qui in ijs rem divinã facerent, Myſtas & Sacerdotes, quos hoc tempore Capellanos diceremus.

16 Adhæc cùm eadem Gothorũ natio diſceſsit ab Ethnicifmo, & ad fidem Chriſtianam propiùs acceſsit; licet ne fe penitus orthodoxis immifceret Arriana hærefis tanquam laciniã deprehenfam retineret; Theodoricus Aquitaniæ Rex habuit in Aula Sacerdotes ab alijs diſtinctos & diverſos. Rem exprimit Sidonius Apollinaris in ea epiſtola, quâ eiuſdem actiones quotidianas deſcripſit. Sed, ut innui, Theodoricum intellige, qui in Aquitania, non Romæ regnavit. Falluntur enim nonnulli, & fallunt dum hanc Sidonij epiſtolam Caſsiodori operibus aſſuunt. Iſte enim in Aula Theodorici Italiæ Regis vixit. Verùm Sidonius a ad amicum ſciſcitantem de altero, & Aquitaniæ Rege ſic reſpondet poſt multa: *Si actionem diurnam, quæ eſt forinſecus expoſita, requiris antelucanos Sacerdotum ſuorum cœtus minimo comitatu expetit, grandi ſedulitate veneratur: quamquam (ſi ſermo ſecretus) poſsis animadvertere, quòd ſervet iſtam pro conſuetudine potius, quàm pro religione reverentiam.* Hîc nomine ſuorum Sacerdotum non modò eos intelligas, qui in eadem hæreſi erant, verùmetiam Aulicos & domeſticos. quam coniecturam de

a *Sidon. Apollin. lib. 1. epiſt. 2.*

Sa-

Sacello & Sacellanis Palatinis valdè firmat, quod ibidem legimus; scilicet Theodoricū admodū matutinum solitū surgere, & ante exortum solem adire cœtus Sacerdotū. Vnde colligi potest ea sacra, quibus intererat, peracta fuisse in Aula, & ab Aulicis. quæ res certior est, quàm ut pluribus probetur; cùm Regem eâ noctis horâ foras egredi non deceret, neque expediret.

17 Quid quòd in Regno Gothorum anno sexcētesimo quadragesimo quarto circiter imperāte Recesuintho Capellæ Regiæ, & Sacerdotum Aulicorum vestigiū aliud cernimus in vita S. Eugenij III. Archiepiscopi Toletani? de quo [a] Ildefonsus in libro de viris illustribus inter cætera hæc habet: *Qui cū Ecclesiæ Regiæ Clericus esset egregius*. Si evinceremus nomine *Ecclesiæ Regiæ* Sacellum Regium intelligi, voti compotes essemus. imò duo efficeremus unicâ operâ. Primùm in Aula Gothica imperante Recesuintho Sacellum Regium tanquam digito ostenderemus; deinde S. Eugenium tanquam eius ædis Palatinæ Sacellanum nobis assereremus. Certè nostris esset accensendus antequam Benedictinæ familiæ nomē dedisset: scio enim è Clerico deinde factum Monachum, & Cæsaraugustæ ad D. Engratiæ vixisse; unde fuit evectus ad summum Sacerdotium Toletanum. Adeòque de splendore illustrissimæ

[a] *Ildefons. de vir. ill. c.* 14.

ſimæ Eccleſiæ Toletanæ nihil detraheremus. Cui ſi auferamus S. Eugenium merum Sacerdotem, concedimus Archiepiſcopum. Idem dico de Benedictinorum ſodalitio: aſſerat ſibi S. Eugenium cucullo indutũ, nobis relinquat Aulicis ſacrificulis adſcriptum.

Sed celeberrimi quique Hiſpaniæ Scriptores adverſus nos pugnabunt: qui quo loco agũt de Eugenio, illum agnoſcunt Sacerdotem Eccleſiæ Toletanæ, quem nomine *Eccleſiæ Regiæ* deſignari intellexerunt. Sic loquuntur Ambroſius [a] Morales, Ioannes Mariana, Vaſæus, Piſa. Qui eâ fortaſſe ſunt moti ratione; quòd ſicuti Toletana civitas urbs Regia, & ſedes Regia antiquitus paſsim audivit, ita nomen Regiæ Eccleſiæ, Templum maximum eiuſdẽ urbis ſibi meritò deſumpſit. Cùm præſertim Cõcilium VII. Toletanum id innuere *videatur*. Sed auctoritas horum Scriptorum tanquam aliquod præiudicium cauſæ noſtræ non officiet. Nam licèt demus eſſe ambiguum, quid veniat nomine Eccleſiæ Regiæ? Sacellum Regis, an Eccleſia Toletana? Si tamen eſſet iudicium ferendum eâ tempeſtate, Eccleſia Regia potius denotavit ædem Palatinam, id eſt, Capellam Regiam, quàm Templum Toletanum. Primùm enim in Regno Gothorum *Capellæ* nomen, vel aliud vocabulum Latiniùs non extitit in uſu ad deſignandum Palatij Sacellum.

[a] *Ambroſ. Moral. lib. 12. cap. 34. Ioann. Marian. lib. 7. cap. 9. Vaſæus in Chronic. Piſa lib. 2. hiſtor. Tolet. cap. 22. Cõc. 7. Tolet. c. 5.*

Nam

Nam eius vocabuli origo, vel certè uſus inferioribus temporibus apparuit, ut vidimus capite præterito: unde non potuit alio nomine, quàm Eccleſiæ denotari (quod extitiſſe non eſt dubitandum, ut hactenus monui: ſolùm hoc alio indicio illud volui magis illuſtrare) Deinde habeo Auctores vetuſtiſsimos (quos potuit Ildephonſus imitari) qui Sacellum, ſeu Capellam Regiam initiò dixere Eccleſiam Regiam. id convinco auctoritate Euſebij [a] in vita Conſtantini, & Sozomeni in hiſtoria ſacra. uterque de eodem Imperatore apertis verbis tradunt in Palatio conſtruxiſſe Eccleſiam, & talem, vel in domo Imperatoria ſitam appellarunt. Retulimus loca utriuſque cum hac eadem diſquiſitione ageremus de origine Aulicorum Sacerdotum; ideò iterum non repetimus. Ij Auctores, vel Græcè loquentes, Sacellum Palatinum Conſtantini, *Eccleſiam appellarunt.* Vnde hiſtoricis ſuprà citatis reſpōdemus, eoſdem vel ulteriùs non inſpexiſſe, vel ut modeſtiùs agamus, non advertiſſe. Si quis enim ex illis de Sacello & Sacellanis Regum ſcripſiſſet, hanc coniecturam petitam ex vita S. Eugenij ſibi elabi non permiſiſſet: quâ & Sacellum ipſum in Aula Regia Gothica aſtruxiſſet, & S. Eugenium inter ſuos ſodales recenſuiſſet. Teſtimonium Concilij Toletani VII. ijſdem Auctoribus nihil ſuffragatur. Neque enim in

*a Euſeb. lib. 4 cap. 17. Sozom. lib. 2. cap. 8.*

eo legitur *Ecclesia Regia*, sed *Regia sedes*. Quo nomine urbs Toletum denotatur: siquidem Concilium separatim meminit Principis seu Regis, Regiæ sedis quæ est urbs, & Metropolitani, qui erat Ecclesiæ Antistes: *Id etiam placuit*, ait Sacer ille conventus, *ut pro reverentia Principis, & Regiæ sedis honore, vel Metropolitani sedis ipsius consolatione convicini Toletanæ sedis Episcopi, iuxta quod eiusdem Pontificis admonitionem acceperint, singulis per annum mensibus in eadem urbe debeant commorari.* Arbitror enim Regis, urbis & Antistitis honori datum, ut ex finitimis Episcopis unus, & in orbem Toleti esset assiduus. Quòd si alicui hactenus dicta videntur in aliquo labare; is sentiat à me scripta problematicè, ne viderer non agnovisse sanctum Eugenium Sacellanum Palatinum Aulæ Gothicæ. A qua ut discedamus, & ad ostendendum in eadem Sacellum Regium, & Sacerdotes Aulicos, possumus insistere eâdem viâ, quâ conati sumus idem demonstrare in Aula Suevorum Regum itidem in Hispania. Eam verò nobis patefecit Concilium Lucense, & divisio Diœceseum facta regnante Theodmiro, seu Miro, Suevo Rege; quæ, ut suprà vidimus, contigit anno Christi 567. Era Hispana 605. post primam tempore Constantini. etenim secutus est eandem Vvamba Rex Gothorũ Era Hispana 706. anno Christiano 668. quâ ut habent

bent M. SS. Toletanũ & Ovetense (qui liber dicitur Itacius) Episcopo Dumiensi familiam Regiam attribuit. *Ad sedem Dumiensem familia Regia*, quæ si paruit huius urbis Antistiti illos in primis è domesticis Regum habuit subiectos, qui in æde Palatina, sacra obiere, vocandi ob tale munus in utraque Aula Sueviça & Gothica Sacerdotes Aulici & Palatini: dicerentur hodie Capellani.

18 Verùm apud doctissimos nullam dubitationem relinquet Iulianus, quem editum ex Bibliotheca Olivarensi operâ V. Cl. D. Laurentij Ramirez de Prado in Supremo Indiarum Senatu Consiliarij, & ad Regem Gallum exlegati, eiusdem viri clarissimi dono accepi, & legi postquam ad umbilicum perduxeram hanc tractationem. Porrò Iulianus in suis Adversarijs ostendit disertis verbis (si vera à maioribus accepit) in Aula Gothica Sacellum Palatinum, & in eo sepulchrum S. Leocadiæ extitisse; cui proximus adstabat Thronus Regius: atque celeberrimum miraculum (cùm è sepulchro Virgo surrexit, & S. Ildefonsum est allocuta; qui in rei memoriam à Rege gladiolo accepto particulam veli Virginei dissecuit, & retinuit) in eodē Sacello Regio contigisse: verba [a] Iuliani rē omnē oculis subijciēt: *Et accepi*, inquit, *simul à maioribus in S. Leocadiæ Sacello Regio corpus sepultum fuisse in Aula* [a] *Iulian. in adversar. nu. 289.*

Sa-

*Sacello maiori, & prope sepulchrum virginis in pariete locatum Thronum fuisse Regis Recesuinthi, Gothorum more purpurâ, auroq; tectum; & tam propinquus sedebat sepulchro, ut ipse per se Rex dederit gladiolum S. Ildephonso, qui cum velo servatur in æde maiori.* Hic observat extitisse in Aula Gothica Sacellum maius, quod publicum fuisse interpretor distinctũ ab aliquo privato; quam differentiam habemus in Aula Hispana hodierna. Ac publicum fuisse plane ex eo liquet, quòd miraculo enarrato præter Regem & Gothorum nobilissimos, interfuit Clerus, & Episcopi suffraganei undeviginti cũ Senatu, Populoque Toletano: ut attestatur idemmet Iulianus in Chronico anno 667.

Qui Auctor licet eodẽ loco dicat hoc miraculum à S. Leocadia patratum in æde sua *Prætoriensi suburbana Tago flumini contigua*, hoc tamen non efficit, quin cõtigerit in Regio Sacello. Concedamus enim Iulianum hoc loco ędem, seu Ecclesiam Leocadiæ dicatam, *Prætoriensem* appellasse, non à Prætorio, quod denotat domum Regiam, sed villam urbanam ex sensu Palladj [a] & Columellæ (ex eo maximè quod addit fuisse suburbanam, & sitam in Tagi fluminis crepidine) hoc, inquã, demus; adhuc tamen potest Sacellum Regium significare; nam teste eodem Iuliano prope domum, in qua nata & educata fuit Leocadia, extitit olim Tem-

a *Pallad. lib. 1. Columell.*

Templum sacrum Minervæ Carpetanæ, quod deinde Reges Gothi eiectâ superstitione incoluerunt. Hoc idem Templum cum domo Leocadiæ Sisibertus Rex Gothorum eidem virgini dedicavit: unde apparet ex domo eiusdem Divæ & Templo Minervæ Carpetanæ eam ædem, Prætoriensem ex parte dictam, fuisse conflatam: quæ cùm Aulæ adhæreret, Sacellū maius domus Regiæ Iulianus appellavit, & eidem virgini consecratum. Sed hæc hactenus de Aula Gothica: nec scio quid exploratius adduci potest in tanta caligine rerum, vetustate temporum, & silentio Scriptorum.

Quæ etiam libenter dixi, & fidenter sum prosecutus, quòd ea vidi probari viro peritissimo cùm exterarum, tum Hispanicarum rerum D. Thomæ Tamaio de Vargas Regio Historiographo: quem qui tantùm eruditorum gradu dignum censet, & non recenset inter eruditos altioris ordinis de amico nostro (& nihil damus amicitiæ) pro dignitate non dijudicat.

19 Tertia Regū familia, quæ post duas primas in Hispania regnavit, est stirps Legionensium & Castulonensium Regum. In quorum Aula vetus est nomen, & usus *Capellanorum*. Etenim quingentis ante annis effloruit Regia Capella in his regionibus. Hoc elicimus ex uno & altero privilegio Alphonsi Sexti, qui primus fuit dictus Imperator in Hispania.

Pri-

a Ex Archiv. Eccles. Compostell.

Primum [a] est subscriptũ anno salutis restitutæ 1140. Eræ Hispanæ 1178. alterum anno consequenti. In utroque magnis honoribus auget summum Capellanum; quo munere voluit, fungeretur Archiepiscopus Compostellanus; quem præterea Cancellarium Legionensem creavit. De qua re mox sermo recurret. De Capellanis Aulicis etiam loquitur lex Hispana operis Septipartiti Auctore, vel Cõpilatore [b] Alfonso Nono: legis titulus inscribitur: *Qual deve ser el Capellan*: ex qua lege cùm multa possimus observare de munere, & officio Capellanorum, hîc exscribam eiusdem particulã usui futuram in tota subsequenti dissertatione. Alfonsus igitur Rex, & Legislator; cuius certè auctoritate & auspicijs leges illæ sunt latæ, præter cætera, in hæc eloquitur: *E porende como quiera que el Capellan mayor del Rei ha de ser de los mas honrados, è mejores Perlados de su tierra, que por hõra dèl i de su Corte debe usar de suoficio en las grandes fiestas, ò quando èl mandare, segun entiende que le conviene; con todo esso el Capellan que anda con èl quotidianamente, è les dixe las horas cada dia, debe ser ome mui letrado, è de buen sesso, è leal, è de buena vida, è sabedor de uso de Iglesia.* Hactenus Rex, sive lex: quæ nõ contenta solis verbis, addit etiam rationes cur in Sacellano Regio ea requirit, quæ enumerat: sed hæc posterius.

b Part. 2. tit. 9. l. 3.

20 Solùm addo, incertum videri quibusdã, utrum

utrum hæc postrema verba pertineant ad minores Aulæ Sacellanos; quæ difficultas suo loco solvetur. Obiter hîc dico, verba ista licèt solùm de summo Sacellano essent prolata, adhuc tamen sacros [a] Canones, qui statuunt de magnis, ad minora etiam volunt pertinere.

Atq; de prima origine Regiæ Capellæ, usuque & nomine *Capellanorum* in Aula Hispana hęc habui quæ dicerem. alij addant eruditiora.

a *Argum. a maioribus extr. de praebend. 14. q. ult. cap. ult.*

# DE ANTISTITE.

## CAPVT III.

*1 SVMMVS Capellanus variè dictus: Palatij Custos, Apocrisiarius. (2. Error in Gretsero de Divo Gregorio) 3. Munus Apocrisiarij. 4. Item Archicapellanus 5. Protocapellanus, & Capellanus per antonomasiam. 6. An idē cum magno Sacellario? 7. Fuit apex dignitatum Palatinarum. 8. Olim in Synodis locū principē obtinuit. 9. Cum Sirmondo disceptatio. Iuvat Regem moribundum. Dignitates Aulicæ ægrè dimittuntur. Habet multos procos 10. Sūmus Capellanus præfertur Primati.*

11. *Sub-*

*11. Subscribit primus testamentum Caroli M. 12. Excipit Pontificem Romanum. 13. Negotia Ecclesiastica, Monastica, Canonica conficit. 14. Cācellarius & Comes Palatij in Aula summi magistratus. 15. Vtrumque summus Sacellanus dignitate anteivit.*

1 QVEM nos in Aula Hispana summum, seu maiorem Capellanum appellamus, in Imperio Occidentis Apocrisiarium, seu Palatij Custodē vocatū esserit [a] Hincmarus. dum enim scribit ad cunctos Franciæ Episcopos, hasce duas voces notiores & frequentiores vult fuisse ad denotandum summū Aulæ Regię Sacellanum. Apocrisiarius [b] verò is dictus fuit initiò, qui legatus, seu internūcius Ecclesię negotia tractabat. Cuius rei & nominis non unus Scriptor meminit. Ij præsertim, qui de Gregorio Magno vel leviter egerunt. Contractus [c] in Chronico: *Hoc tempore Gregorius tunc Apocrisiarius moralia Iob scripsit.* Nam quem hodie Nuncium, seu Legatum Apostolicum dicimus, tunc temporis Romanus Apocrisiarius dicebatur; solitus morari in Aula Bizantina, vel eorum Imperatorum, penes quos stabat summa rerum, & amor religionis.

a *Hincm. epist. 3. ad Episcop. Franc. cap. 16. 19. 20.*

b *Ladov la Cerd in advers sacr. c. 2*

c *Contractus in Chronico.*

Erat enim, ut innui, internücius responsa ferēs, vel accipiens; & brevi procurator alicuius negotij conficiendi causâ missus. Atqui D. Gregorium eo Apocrisiatij munere functum Constantinopoli præterea tradunt [a] Isidorus, Ioānes [b] Diaconus, Ado [c] Viennensis, Honorius [d] Augustodunensis, [e] Sigibertus, [f] Trithemius: in qua Aula cum Leandro Hispalensi, qui Gothorum Regum negotia tractabat, inijt amicitiam: cuius efflagitatu in libros Iob commentaria confecit.

2. Hîc nōn possum, licèt obiter, non indicare errorem negligentis potius Exscriptoris, vel imperiti Typographi, quàm [g] Iacobi Gretseri: qui in commentarijs in Georgium Codinum expresse asserere videtur D. Gregorium fuisse Apocrisiarium in Aula Iustiniani. Reus esset manifesti errotis: nam benè norunt Chronologi Gregorium missum à Pelagio II. P. R. Constantinopolim Tiberio imperante, & anno DLXXXIII. Iustiniano iam à vivis sublato octodecim ante annos [h] nempè DLXV. puerilis fuisset lapsus: unde nullo modo adducor, ut credam, hunc errorem in tantum virum cadere potuisse. Nam licèt bonus quandoque stertat Homerus, Gretserus tamen & non uno scientiarum genere fuit instructus, & maximè in ratione temporum fuit versatus.

3 Apocrisiarij [i] etiam nōmē obseivatur ad le-

a *Isid. lib. de ill. Eccles. Scrip. cap. 27.*
b *Ioan. Diac. in eius vita, lib. 1. c. 17.*
c *Ado Viēn. in Chron.*
d *Honor. August.*
e *Sigibert. in Chron.*
f *Trithem. de ill. Script.*
g *Iacob. Gretser. lib. 1. cōment. cap. 6. n. 32. §. in eod. cap. 5.*
h *Sigonius, Gordonius, & alij.*
i *Nicetas in Manuele Cōmeno. Stylian. in epist. ad Stephan. Pap.*

legatos profanorum Principum derivatum?
Ex his ediſcimus, cur ſummũ Capellanum in Aula Occidentis Apocriſiarum appellarunt: quia nimirum, ut mox dicemus, pertinentia ad rem ſacram procuravit.

Licèt enim ſi etymon ſpectemus, is propriè Apocriſiarius diceretur, qui legati munere fungebatur, cùm ab alieno Principe reſponſa acciperet, ſuoq́; redderet; ἀπὸ τοῦ ἀποκρίνομαι quod eſt reſpondeo. Vnde ἀπόκρισις reſponſio: & hoc nomine legati Eccleſiaſtici denotarentur, illique ſuas legationes obeuntes Eccleſiaſtica & ſacra negotia tractarent & conficerent; hinc tamen eſt factum, ut in Aula Occidentis ad ſummum domus Regiæ Sacellanum nomen illud derivarent homines parum curantes genuinas vocum notiones; quia nimirum ſacra & ipſa in Aula procurabat. Qui etiam ut ex munere poſterius patebit, inter Regem & ſubditos legatus quodammodo intercedebat, ad quem vota ſubditorum in rebus ſacris deferebat, & iſtis reſponſa Regia reddebat.

4 Verùm Vvalafridus Strabo in libro poëmatum Archicapellanos vocat Hilduinũ, qui ſub Ludovico Pio Imperatore, & Grimaldũ, qui ſub Ludovico Rege Pij filio cum ſumma poteſtate Sacello Regio præfuerunt. Cui ſecundo ipſe Strabo [a] Hortulũ, ſeu de re Hortenſi poëma non illepidum dicavit. Reſcriptũ Epiſ-

[a] *Vvalafrid. Strabo lib. poëmat.*

Episcoporum præfixum Concilio[a] Ticinēsi initiò meminit Iosephi Archicapellani. Quod nomen non semel usurpat Ekkerardus[b] Iunior Monachus Sangallensis in libro de rebus sui Monasterij: præsertim capite primo Grimaldum vocat Archicapellanum. [c] Incertus etiam Auctor vitæ Ludovici Pij eodem nomine Drogonē appellat. Vnde ex his & alijs auctoritatibus, quas infrà, & ex occasione adducemus, planissimè constat fuisse consequentibus temporibus in Aula Occidentis usitatius, & frequentius usurpatum nomen *Archicapellani*. Quod cognomentum diu retinuisse Archiepiscopos Electores sub posterioribus Cæsaribus observat Rhenanus. Abbas Fuldensis habet hodie hoc nomen, & titulo tenus est Augustæ Archicapellanus. Et hoc vocabulum ad Imperium Latinum proculdubio pervenit a more[d] Græcorum; qui ad denotandam alicuius rei, & ordinis dignitatem, atque locum principē, vel initiò vocis, vel in fine vocabula ἄρχι, & ἄρχων addiderūt. Sic in republica Ecclesiastica & profana multa eius generis vocabula vidimus usitata; ut *Patriarcha*, *Monarcha*, *Archidux*, *Archipresbyter*, & similia. Ac præsertim vocem, *Archiepiscopus*, in Ecclesia Latina non esse vetustissimam, eamque appellationem serò receptam, est qui[e] observet non sine eruditione.

a *Concil. Ticin. sub Ludov. 2.*

b *Ekker. lib. de casib. Monast. Sāgall. cap. 1.*

c *Incert. Auctor. vitæ Ludov. post Agmonium.*

d *Gretf. lib. 1. comment. cap. 15. n. 6. in Cod. c. 1.*

e *Ioā. Tilef. de sacr. Episcop. auct. c. 6. §. 14.*

5 Demum in Aula Parthenopæa Regum Neapolitanorum summum Sacellanum video appellatum, *Protocapellanum*: cuius mentio admodum vetusta ex tabularijs eorundem Regum [a] observatur. Eius quoque vocis initium Græci dedere. denotat verò primum Capellanũ. Absolutè etiam fuisse dictũ Capellanũ per quandam antonomasiam, ex ijs patebit, quæ trademus initiò capitis subsequentis.

a *Petr. Vincent. in M. S. de Eccles. Regn. Sicil.*

6 Nolo etiam alicui fraudi sit nomen *Magni Sacellarij*, quod munus recensetur à Gregorio [b] Codino inter officia non Aulæ, sed magnæ Ecclesię Bizantinæ. nam perperam faceret, qui illum confunderet cum magno Sacellano. diversa est utriusque vocis notio, diversum munus. Sacellarius non à Sacello (unde Sacellanus) sed a Sacco, Sacculo, Saccelo extritâ alterâ, c, fuit dictus; & quòd pecunias Ecclesiæ curaret, asservaret, expenderet, Ecclesiæ ærario præesset.

b *Greg. Codin. cap. 1. de off. magn. Eccles. Constatino. & ibid. cõm. Gretser.*

Sed hactenus dicta de nomine summi Capellani inania fortasse nõ nemini apparebunt, & umbratilis perquisitio, adeòque parum proficua. Vnde hæc missa faciamus, & de munere & dignitate summi eiusdẽ Capellani, quæ potissimũ observare potuimus ex non obvia, nec vulgata Auctorum & Conciliorum lectione hîc subijciamus.

7 Summus, seu maior Capellanus apex fuit, at-

atque culmen dignitatũ Palatinarum. Advertit hoc P.[a] Sirmondus in notationibus ad capitula Caroli Calvi. Atque illius observationem benè firmant quæ scribit [b] Hincmarus in epistola ad Episcopos Franciæ ex commentarijs Adhelardi, seu Abailardi Abbatis (quam epistolam contineri inter novem codicis Spirensis, & Adhelardum fuisse Abbatem Corbiensem, propinquum & Consiliarium Caroli M. observat [c] Baronius). adstipulatur etiam diploma [d] quoddã Ludovici Pij de Ecclesia Hamaburgensi; cùm primũ eã erexit, & Episcopum eidẽ dedit: *Cui, inquit, & primum præesse atq; solẽniter consecrari per manus Drogonis Metensis, & summæ sanctæ dignitatis Palatinæ Præsulis Anscharium fecimus Archiepiscopũ.* Quibus Drogo Archicapellanus, ut dicebãt, denotatur in altissima Aulæ dignitate cõstitutus, qui Anschariũ primum eius Ecclesiæ Antistitẽ inauguravit.

8 Tanta erat in Aulis Regum & Imperatorum summi Capellani dignitas, ut olim in Cõcilio, quod in Verno Palatio est habitũ, nullá alia potior ratio apparuerit, quàm hæc desumpta ex dignitate Palatina, cur Ebroinus Pictavorũ Episcopus prælatus fuerit Vveniloni Senonũ Archiepiscopo: erat ille summus Sacellanus Caroli Calvi Regis, quo nomine principẽ locũ in ea Synodo obtinuit: ita notat Sirmondus in notis ante [e] citatis. Ebroinũ verò primũ

a P. Sirmondus in notis ad Concil. in Verno Palatio.

b Hincm. epistol. 3. citata.

c Baron. anno 877.

d Diploma Ludovic. apud Sirmon. l. c.

e Concilium in Verno Palatio inter capitula Caroli Calvi anno 845.

locum obtinuiſſe liquet ex inſcriptione eiuſdẽ Concilij: idque factum quòd Sacello Regio præeſſet, inter cæteras ea coniectura eſt, quòd in orâ codicis Laudunẽſis annotatur: *Ebroinus ſummus Capellanus Regis Caroli Calvi*: ut intelligeremus principẽ locũ hoc nomine ei tributũ.

a Synod. ad Theodonis villam anno 845. Sirmõdus ibidem.

9 Atq; miror cur [a] Sirmondus (à quo ingenuè cauſam fuiſsẽ ſciſcitatus, ſi huc ad nos Matritũ veniſſet doctuius politiores litteras de ſuperiori loco in nova & regia Academia Societatis IESV, ut fama increbuit) non etiã afferat ob hanc eandem rationem prçſediſſe Drogonẽ in Synodo ad Theodonis villã paucis ante menſibus habitâ. Cùm potius alias adducat rationes, & det illas. Primùm quòd eſſet patruus triũ Regum Lotharij, Ludovici, Caroli; qui eò cõvenerant. deinde quia Vicarius, ſeu Legatus Romanæ ſedis: quæ ſecunda ratio, ut Drogoni locus princeps in eo facto Conventu tribueretur, habuiſſet plus efficacitatis, neque ullũ dubitationi locum reliquiſſet. Sed planè liquet Drogonem hac auctoritate uti noluiſſe, cùm refragarẽtur univerſi Germaniæ, Galliçq; Epiſcopi: ex Hincmaro hoc etiã ediſcimus: *Drogo*, ait [b] ille, *Metenſium Epiſcopus faſtu Regiæ proſapiæ ſubvectus prælationẽ in Ciſalpinis regionibus tẽpore Lotharij Imperatoris apud Sergium Papã obtinuit. Sed quòd affectu ambijt, effectu non habuit: & quòd efficaciæ uſu nõ conſentientibus quibus intererat*

b Hincm. epiſt. 6. c. 30.

ob-

*obtinere non potuit, patientissimè, ut cum decuit, toleravit, ne scandalum fratribus consacerdotibus generans, schisma in Ecclesiam introduceret.* Hæc Hincmarus. vnde inferas neque ob Regiam cognationem Drogoni primum locum in Synodo tributum; cùm hæc nō potuerit efficere, ut concessâ legatione uteretur. Verùm ille tametsi nec Regū patruus, nec Pontificis legatus extitisset, potuit in ea Synodo eo titulo, quo Ebroinus, locū principem obtinere; quia scilicet summus Capellanus. vnū est quod Sirmōdū posset excusare: nimirū liquidò non constare, utrum Drogo in ea dignitate Aulica esset constitutus, eoq; munere Archicapellani, ut vocabant, fungeretur, quo tēpore Conciliū in verno Palatio est habitū, & cui ipse præfuit. verùm hoc effugiū Sirmondo etiā præcluditur; nam planissimè probavero Drogonē tunc tēporis munus summi Capellani obijsse; imò ad eam dignitatē nō paucis antè annis iā evectū. Functus enim erat eo munere in Aula fratris, Ludovici, inquā, Pij, & qui pater fuit triū Regum Lotharij, Ludovici, Caroli Calvi. Huius rei testimoniū primò potest peti ex diplomate suprà laudato Ecclesiæ Hāmaburgēsis, in quo Drogo est descriptus tāquā sūmus Aulę pręsul: illud verò à Ludovico Pio, ut vidimus, fuit cōcessū. Deinde hoc etiā munere functū esse Drogonē in morte eiusdē Imperatoris planè docet

*a Auctor incert. vitæ Ludovici post Aymon.*
*b Baron. an. 840.*

Auctor [a] incertus, sed eiusdem Aulæ, ut vult Baronius [b], qui Ludovici vitam scripsit. iuvit enim Drogo Imperatorem fratrem moribundum: cui utpote cognatione propinquissimo pectoris arcana, & sollicitudines in eo discrimine communicabat. Sic habet laudatus & incertus auctor Antistites enumerans, qui præsentes aderant lectulo Imperatoris animam agentis: *Sed & Drogo frater domini Imperatoris, & Metensis Episcopus, necnon sacri Palatij Archicapellanus, quem quantò sibi propinquiorem noverat, tantò ei familiariùs sua omnia, & semet credebat.* Præterea subdit: *In crastinum, quæ erat, Dominica iussit ministerium altaris præparari, & per officium Drogonis Missarum solemnia celebrari, necnon per manus eius, iuxta morem communionem sacram sibi dari, & post hæc cuiusdam potiunculæ calidulæ haustum præberi. Quo perpaululum prælibato, precatus est fratrem, & simul astantes, ut curandis corporibus operam darent, se tamdiu præstolaturum, quamdiu ille refici possunt.* Quamobrem è vivis sublato Ludovico fratre, non sit qui revocet in dubium Drogonem egisse summum Capellanum in Aula nepotum, qui patri mortuo successerant. Neque enim temporaria ea dignitas erat, sed perpetua: vel de qua nemo libens descendebat, cùm fuerit apex, atque culmen dignitatum Palatinarum.

Vbi quis semel Aulicis dignitatibus copu-

latur, difficile ab ijs divertit.: de qua re vir in Aula admodũ versatus dixit. Vt hedera procerissimam quamq; arborem complexa non ante eam dimittit, quàm sensim exutam, & vivido humore exhaustam ad tabem perduxit nexu tenacissimo. Sic ingenia præclarissima, quæ sese prorsus ambitioni dederunt, non ante quàm aliquid eis secus accidit ab eius contuberniolento, tenaciq; explicantur. Hæc Gullelmus Budęus;[a] quibus deridet voces quorundam, qui vitæ publicæ pertæsi secessum, & missionem *Dicis causa* meditantur. Sed interea, ut prosequitur, mordicus postes Aulæ, fibulasque Prætorij omni ope retentant. Vnde quoties laribus vota nuncupant in reditum, quasi verò vitæ publicæ labores ultra ferre nequeât, illud insusurrat: *Quare Peregrinum*: nec illepidè.

[a] *Lib. 5. de asse. p.1.q.8.*

Ita Hildebaldus, qui fuit Archicapellanus Caroli M. idem munus in Aula Ludovici filij continuavit: qui tamen Regio sanguine non erat prognatus ut Drogo. sed hæc posteriùs.

At obijciet hîc aliquis. Synodus hæc ad Theodonis villam, cui Drogo præfuisse dicitur tanquam summus Sacellanus, celebrata fuit anno 845. mense Octobri. Altera verò in verno Palatio, cui Ebroinus præfuit ut summus etiam Sacellanus Caroli Calvi, habita fuit eodem anno 845. & mense Decembri, ut habent Capitula eiusdem Regis collecta, &

edita à Sirmondo. Sed ex hac ratione temporũ alterutrum absurdum consequatur, necesse est: vel in eadem Aula, & eodẽ tempore duos summos Sacellanos extitisse; vel paucis post mensibus, imò diebus, Drogonem aut vitâ functum aut casu aliquo dignitate exutum, & Ebroinũ ei suffectum. quæ ignoramus an ita fuerint, & si hoc nõ est, nescimus quid sit, ariolari. Imò Drogonem longiùs vitam produxisse possumus asserere ex litteris quibusdam Caroli Calvi, quas mox adducemus.

Sed huic nodo præstò est suus cuneus. Ad secundam obiectionis partem pauca respondeo. Drogonem obijsse, Ebroinum è vestigio in munere successisse non posset aliquis cum probabilitate respondere? Nonne vita, ut fortuna est vitrea? cùm splendet frãgitur. Dignitates ipsas Aulicas quotus quisq; est qui nõ ambiat? Quot procos habent hæ Penelopes? Qui in contẽtione honorum huius generis eâ lege stadiũ intrarent, quâ lege proci Hippodamiæ decurrebãt. Quod ad rem facit aio, Drogonem potuisse in Synodo ad Theodonis villam locum principem obtinere tanquam summum Capellanũ, sed non Caroli Calvi (cuius esto eo tẽpore esset Ebroinus) verùm Lotharij. Etenim eò convenere, ut ante innui, tres fratres & Reges Lotharius, Ludovicus, Carolus Calvus. Sed in Synodo verni Palatij hic postremus tantùm, unde ad-

adiuvatur nostra ratiocinatio. Nã par est credere in altera Synodo ad Theodonis villã præsedisse summum Capellanũ illius Regis ex tribus, qui cęteros duos prærogativâ aliquâ anteiret. Talis erat Lotharius, qui Ludovicũ & Carolũ ętate & dignitate antecedebat. Erat enim natu maior, & præterea Imperator. At Drogonem fuisse functũ munere summi Capellani in Aula Lotharij quis addubitet? etenim post mortẽ Ludovici Lothario adhæsit, non modò quia cõsequens erat, ut cùm munus illud in Aula fratris & Imperatoris exercuisset, eodẽ fungeretur in Aula nepotis natu maioris & Imperatoris; verùm etiã quia Metẽsis Ecclesia, cuius Drogo erat Episcopus, in partitione Regnorum inter tres Reges fratres, in Lotharij Regno fuit cõstituta. Cuius rei extat luculentũ testimoniũm Caroli [a] Calvi Regis in epist. ad Nicolaũ Papam, & in Audẽtij commendationẽ, ijs verbis: *Unde quoniã venerandus, & amantissimus patruus noster Drogo, qui licèt in Regno fratris nostri Lotharij quondã Imperatoris post obitũ domni, & patris nostri degisset, eò quòd sedes in parte Regni ipsius devenerat, Nobis tamen unicè dulcissimâ dilectione & obnixâ fidelitate coniunctus fuit.* Deinde Lotharius usus est Drogonis operã in rebus arduis & honorificis, & quidẽ initio dominatus. Illũ enim Romã misit ad Ludovicum filium Italiæ Regẽ Romam usque deducẽdum, ut Imperatoris nomẽ

a *Ex M. S. Trevirensi.*

à Pontifice Romano sortiretur: non ut eiusdem Pontificis, qui erat Sergius, electionem confirmaret: ut impudẽter dixit Schismaticus Sigibertus, quem meritò reprehendit [a] Baronius auctoritate [b] Adonis Viennensis.

a Baron. anno 843.
b Ado Viennensis anno 841.
c Floroard. lib. 2. histor. Rhem.

Demum quod legitur in Historia Rhemensi, quam scripsit Floroardus [c] hactenus dicta egregiè confirmant. Nam in restitutione Ebonis ad Rhemensem sedẽ, à qua fuerat deiectus, subscripta à quamplurimis Præsulibus Drogo licèt Episcopus subscribit primo loco, deinde subsequuntur quinque Archiepiscopi. Quæ restitutio contigit (annuente Lothario, ad quem Ebo confugerat) anno 840. circiter; qui etiam fuit annus, quo Ludovicus pater è vivis excesserat. quod est argumento Drogonem à morte patris Lotharij Aulam esse sequutum, atq; primùm subscripsisse tanquam summum Aulæ Sacellanum.

Itaque in eo conventu trium Regum, & sacrorum Antistitum præsedit Drogo tanquam summus Capellanus Lotharij Imperatoris. Neque enim alia ratio potior apparet. cùm illum Legatum sedis Apostolicæ noluerint agnoscere Galliæ & Germaniæ Episcopi. De qua re & legatione præter Hincmarum supra adductum loquuntur Episcopi in [d] verno Palatio coacti: & modestè refragantur, dum fatentur; vices Apostolicas, si cui deberentur, Dro-

d Concil. in verno Palatio, can. 11.

go-

goni in primis deberi ob Regiam cognationẽ: *De prælatione*, inquiũt, *reverentissimi Drogonis definire aliud non audemus, nisi expectandum, quàm maximus cogi potest, Galliæ, Germaniæq; conventũ, & in eo Metropolitanorum aliorumq; Antistitũ inquirendum esse consensum. Cui resistere nec volumus, nec valemus. Nobis tamen, si quid tale alicui committi potest, & non alia quàm quæ prætenditur, latet causa; illi potissimum convenire videtur, qui & communione Sacerdotij nobis, & excellentiæ vestræ propinquitatis privilegio sociatur.* Synodus ista nõmine prælationis vices Apostolicas intelligit: quas Sergius [a] II. Drogoni delegarat, atque codicillis Pontificijs in eam rem exaratis hæc dixerat: *Se ad humilitatis suæ vicẽ cunctis Provincijs trans Alpes constitutis Drogonem Archiepiscopũ Metensem gloriosi quondam Caroli Imperatoris filium sanctitate, doctrinâq; conspicuum præfecisse.* Sed ut suprà dixi, cùm Regia cognatio Drogoni nequaquam profuisset, ne illius legationi obsisterent Episcopi, neque est credendum in Synodo ad Theodonis villã eosdem loco anteisse, quia patruus Regum. Locum principem obtinuit, quia summus Capellanus Lotharij: quo nomine in Synodo paulò pòst subsecuta, & habita in verno Palatio præsedit Ebroinus summus item Capellanus, sed Caroli Calvi. licèt nec Regiâ cognatione, nec legatione Apostolicâ esset innixus.

a Baron. anno 844.

10 Ad

10. Adhæc cùm legimus in præfatione Cōcilij [a] Moguntini tempore Caroli M. celebrati, adeòque paulò antiquioris, inter præcipuos Antistites, qui illùc convenere, præcipuo etiam loco numerari Hildebaldum sacri Palatij Archiepiscopum; nō est quòd quis existimet Moguntinum fortè Præsulem designari, quòd Moguntiæ in urbe Metropoli ea Synodus haberetur. Nullus enim eius nominis Archiepiscopus inter Moguntinos adnumeratur. Imò qui tunc vivebat Ricolphus dicebatur, cuius etiam in eadem præfatione fit mentio, & Concilio interfuit. Verùm ex erudita observatione [b] Ioannis Filesáci pro voce Archiepiscopi, alia Archicapellani est reponenda. Cùm enim Hildebaldus hoc munere in Aula fungeretur, primus sedit in eo Concilio ob rationem, quā hactenus attulimus pro Ebroino, & Drogone. Neque alia efficacior reddi potest. nam cætero qui locus Princeps Ricolpho debebatur Antistiti Moguntino, & Germaniæ primati. Hildebaldus verò Archiepiscopus Coloniensis erat, ut docent alia Concilia, & aliæ subscriptiones, quas paulò pòst subijciā, adeòq; altero si nō dignitate, certè prærogativâ inferior. Hanc suam coniecturam Filesacus magis est amplexus, quòd eam probari vidit clarissimo viro Nicolao Fabro. Ast huius auctoris observationem magis illustravero ijs, quæ

a *Cōcil. Mogunt. in præfat.*

b *Ioā. Files. de sacr. Episcop. auctor. c. 9. §. 15.*

quæ subijciã, & annotavi de eodẽ Hildebaldo.

11 In gratiam Doctiorum contrahã in pauca testamentum Caroli M. quod de omni supellectile, & rebus mobilibus condidit, & plenum quidem pietatis & prudẽtiæ. legitur apud Eginhardum [a], qui illius vitam scripsit, & qui Cancellarius, & gener fuit eiusdem Imperatoris, & demum Monachus Benedictinus: ex eo transcripsit Baronius [b] in suos Annales.

a Eginhard. in vita Caroli Magni.

b Baron. anno 811.

Eginhardum fuisse etiam in Aula Caroli M. (quod obiter dixerim) Archicapellanũ testatur fragmentũ pervetusti libri in collectione Scriptorum Germanorum ex Bibliotheca Iusti Rouberi. Licèt historia quę ibidẽ extat, quomodo sit effectus gener Imperatorius: cùm scilicet Imma Caroli filia iam desponsata Græcorum Imperatori Eginhardum deperijt, & iste mutuò exarsit; & alia à Carolo patre oculis hausta, & impunè concessa dubitare nos faciunt, an Eginhardus Archicapellani munere fungeretur. Eandem historiam, licèt ridiculã, Lipsius [c] retulit in exẽpla & monita politica: quam nos reticemus, quia extra orbitam.

c Lipsius lib. 2. c. 12. n. 12.

Ad summam Princeps religiosissimus gazã omnem Regiam, vasa cælati auri & argẽti, vestes, tapetia, utẽsilia in tres partes iubet dividi. Has iterum subdividit, & duas primas in XXI. portiones secat, quas totidem Metropolitanis Ecclesijs, quot in suo Imperio enumerabantur,

tur, attribuit. hac tamen lege, ut unusquisque Metropolitanus suam cum suffraganeis partiretur, retentâ sibi & suæ Ecclesiæ parte ad minus tertiâ. Partem verò aliam ex tribus primis Carolus sibimetipse, & usui quotidiano sepofuit: quam etiam, si moreretur, aut eâ amplius uti nollet, in alias quatuor partes dissectâ voluit. E quibus unam addi iussi XXI. partibus, quas attribuit Metropolitanis, alteram dividi inter filios & nepotes, tertiam pauperibus erogari; postremam distribui servis & ancillis, quæ versabantur in Aulæ ministerio. Qui igitur primus hoc testamentum subscripsit fuit Hildebaldus summus Aulæ Sacellanus, licet in eo legatur Hildeboldus. id coniectabat mutatione unius literæ; cùm idem comperi notasse Binium [a] in notis Côcilij suprà laudati: & suadebant ratio [b] temporum, & aliæ subscriptiones. In eodem testamêto post Hildebaldû subscribit Ricolphus, qui Primatis prærogativâ debuerat primus subscripsisse. Verùm ut in Côcilio Moguntino, hîc etiam Archicapellano primas concessit. Credibile est etiâ eiusdê Hildebaldi fidei commissa fuisse hæc, quæ Carolus legavit. Siquidem in morte Ludovici Pij observâvi, Drogoni Archicapellano iniunctâ fuisse curam non absimilem. Nâ incertus Auctor eius vitæ hæc habet: *Iussit autem* (Ludovicus) *eidê venerabili fratri suo Drogoni, ut ministros*

a Binius in notis ad Côcil. Mogunt.
b Baron. anno 813.

*Cameræ suæ ante se venire faceret, & rem familiarem, quæ constabat in ornamentis Regalibus, scilicet coronis & armis, vasis, libris, Sacerdotalibusq́ vestibus per singula describi iuberet. Cui prout sibi visum fuit, quid Ecclesijs, quid pauperibus, postremò quid filijs elargiri deberet, edixerat.* Videmus hîc adumbratum munus testamentarium summo Aulæ Capellano demandatum.

12 Præterea cùm Stephanus Pontifex Romanus, & eius nominis quintus regnante Ludovico Pio in Gallias contendit occasione pacis stabiliendæ, & quam tradunt eius seculi, rerumque in eo gestarum Scriptores. Is religiosissimus Imperator præterquàm quòd Pontifici comitem addidit Benhardum Italiæ Regem, Hildebaldum etiam summum Capellanum, ut Pontificem exciperet, obviam misit. Sic habet [a] Auctor incertus vitæ Ludovici: *Imperator Stephani Papæ advētu præcognito, Bēhardū quidē nepotē, Regem Italiæ, Pipini filiū cū comitari iussit. Sed eo appropinquante alios missos, qui eum cum debito honore perducerent, direxit. Ipse autē adventū eius Rhemis sustinere statuit. Cui etiam obviā Hildebaldum Archicapellanum sacri Palatij, Theodulphum Episcopum Aurelianensem, Ioannē Atrebatensem aliorumq́ ministrorum Ecclesiæ copiā procedere iussit infulis indutos Sacerdotalibus.* Deniq; Archicapellani cēsuræ acta & diplomata sua subijci voluere Imperatores: quę præsertim locis

*a Incertus Auctor vitæ Ludov. Pij cap. 38-39.*

ſacris concedebant. ita in privilegio Eccleſiæ Bremenſis [a], quam Carolus M. ædificavit,& erexit,legitur hæc ſubſcriptio: *Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis,& ſacri Palatij Capellanus recognovit.* Ex his tandem obſervo, quod ſuprà innui, Hildebaldum in Aula Caroli M. egiſſe ſummum Capellanum, idemque munus continuaſſe in Aula Ludovici filij.

a *Apud Baronium. anno 788.*

12 Verùm hactenus dicta de ſummo Capellano,quæque illi obtigerũt,licet plena ſint honorificentiæ;eiuſdem tamen dignitas magis appatuerit,ſi ex vetuſtis & ſacris rerum monumentis magis,atque magis eruamus munera, quæ in Aula exercebat, & negotia, quæ procurabat.Planè erant omnia Eccleſiaſtica,Canonica, Monaſtica. quæ res eſt paulò altiùs repetenda.In Aulis Regum, & Imperatorum in Occidente duo erant ſummi Magiſtratus Cancellarius, & Comes Palatij: quicquid hi duo in re profana efficiebant diſtinctis, & diverſis muneribus,id in re ſacra ſolus præſtabat ſummus Sacellanus.Cancellarius omnes magiſtratus Palatinos dignitate anteivit: adeò ut vir doctiſsimus Gulielmus Budæus Cancellarij dignitatem meritò appellaverit: *Honorum Solſtitium*: ſignificanter dixit, in Aula Regum nullum munus fuiſſe ſublimius, & ultra quod progredi quiſquam poſſet. Huic enim arcana Imperij erant aperta. Anulum Regium ſervabat:

bat: per Cancellariũ beneficia, & munera Regia emanabant ad subditos. Eiusdem partes erant videre, ne qua Principis constitutio, ne qua sanctio, ne quod diploma, vel rescriptum, ne qui codicilli Regij non è Republ. atque etiã è dignitate Reipublicæ, vel Principis extarent. Huius censuræ, aut stylo Principum Maiestas acta sua eximi nunquam voluit. Vnde in vita [a] Ansberti de Cancellario legimus: *Cæpit esse Aulicus scriba doctus, conditorq; Regalium privilegiorum, & gerulus annuli Regalis, quo eadem signabantur privilegia*. Atq; in epistola [b] Hincmari ad Episcopos Franciæ hæc habentur: *Cui* (Apocrisiario) *sociabatur summus Cãcellarius, qui à secretis olim appellabatur. Erantq; illi subiecti prudentes & intelligẽtes, ac fideles viri, qui præcepta Regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberẽt, & secreta illis fideliter custodirent*. Comes verò Palatij in alia Reipub. parte, & in alio negotiorũ genere nõ fuit prędi tus minori prærogativâ. nã præter multa, quę ad Reip. administrationẽ attinentia procurabat, legum erat præsidium, iuris Asylum, morum, & institutorum veterum ara, æqui, boniq; columen, Antistes æquitatis. De quo hæc fusior Hincmarus epistolâ modò laudatâ: *Comitis Palatij inter cætera penè innumerabilia in hoc maximè sollicitudo erat, ut omnes contẽtiones legales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis iudicium Palatiũ aggrediebantur iustè, ac rationabiliter*

a *Auctor vitæ B. Ansberti.*

b *Hincm. epist. 3. c. 19. 20.*

*determinaret; seu perversè iudicata ad æquitatis tramitem reduceret. Si quia verò esset tale, quod leges mundanæ hoc in suis definitionibus statutum non haberent, aut secundùm Gentilium consuetudinem crudelius sancitum esset, quàm Christianitatis rectitudo, vel sancta auctoritas meritò non consentiret, hoc ad Regis moderationem produceretur, &c.* De eodem magistratu similia habet [a] Eginhardus.

a Eginhard. in vita Caroli Magni.

14 Quicquid igitur, ut supià annotavi, efficiebant distinctis muneribus Cancellarius, & Comes Palatij in gubernatione profana, id præstabat in Ecclesiastica summus Aulæ Capellanus: omnia enim sacrata negotia, vel conficiebat ipse, vel cum Rege tractabat. Vnde summã illius in re sacra potestatem benè [b] expressit Hincmarus, & nõ brevi gyro verborũ, quæ hîc subijcio: *Apocrisiarius autem, quẽ nostrates Capellanum, vel Palatij custodẽ appellant, omnem Clerum Palatij sub cura & dispositione sua regebat:* & infrà: *E quibus præcipuè duo, id est Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatij custos de omnibus negotijs Ecclesiasticis, & ministris Ecclesiæ, & Comes Palatij de omnibus secularibus causis, vel iudicijs suscipiendis curam instantem habebant: ut nec Ecclesiastici, nec seculares priùs dominum Regẽ absq; eorum consultu inquietare necesse haberent; ut causa ante Regem meritò venire deberet: si verò secreta esset causa, quam prius congrueret Regi, ut hoc iuxta modum personæ, vel honorabiliter, vel patiẽter, vel*

b Hincm. epist. cit. cap. 16. 19. 20.

*etiam misericorditer susciperet. Apocrisiarius quidem de omni Ecclesiastica Religione, vel Ordine, necnon etiam de Canonica, vel Monastica altercatione, seu quaecunque Palatium adibant pro Ecclesiasticis necessitatibus, solicitudinem haberet: & ea tantummodo de externis Regem adirent, quae sine illo plenius definire non potuissent.* Hactenus Hincmarus: quibus etiam Comitem Palatij designat, & cum eodẽ comparat summum Capellanum. Qui certè cùm negotia omnia sacrata, vel, ut dixi, solus peragerent, vel cum Rege conferret, hinc factũ existimo, ut Ecclesia Senonensis epistolã quandam pro electione Ieremiæ, eius sedis Archiepiscopi (agens, ut opinor, gratias) his verbis inscripserit ad Hilduinum [a] Archicapellanum: *Eximio domino & verè sanctissimo Hilduino sacris negotijs à Deo prælato Senonicæ urbis abiecta Ecclesia.* Paucis descripsit munus & officium summi Capellani.

[a] *Sirmõd. in notis ad Cõcil. in Verno Palatio inter capitula Caroli Calvi.*

15 Sed quod magis est annotandum aliud esse censeo: Archicapellanus tunc temporis nõ modò cum Cancellario æquabatur, verùm etiam eundem dignitate longè anteivit. Quod demonstrant antiquissima diplomata Regum & Imperatorum, in primis Ludovici Imperatoris, & Germaniæ Regis, & qui Caroli M. nepos fuit. Nam in quodam privilegio, quod dedit, subscriptio hæc legitur: *Ernestus Cãcellarius ad vicẽ Theodmari Archicapellani recognovit.*

Extant aliæ Othonis Imperatoris litteræ, & ſubſcriptione ſimili munitæ: *Vuiligiſus Cācellarius vice Roberti Archicapellani recognovi*. In utroq; diplomate Cancellarius vices gerit ſummi Sacellani. quod eſſe indicio, fuiſſe illum dignitate inferiorem, vacat cōtroverſiâ. Etenim vicariâ operâ abſentis partes ſupplebat. Quā plures huiuſcemodi ſubſcriptiones leguntur in Chronico Epiſcoporum Mindenſium, & quidem in privilegijs, quæ eorundem Eccleſiæ dedere vetuſtiſsimi Imperatores: quas, quia multæ, conſultò prætereo, & qui velit, legere poteſt poſt ſex Scriptores rerum Germanicarum editos ex Bibliotheca Ioānis Piſtorij. Quamvis autem ex dignitate & prærogativa ſummi ipſius Sacellani benè poſſumus dignoſcere cæteros illi ſubditos in Regio Sacello Sacerdotes Aulicos (neceſſe enim erat debita proportione & ſymmetriâ capiti reſponderent) de ijs tamen nonnulla neque obvia, neque vulgata ſeorſim ſubnectamus.

## NOTÆ.

Pro Capella Aulæ Hiſpanæ.

15 IN *Aula Hiſpana dignitas ſummi Sacellani*. 17. *Quis iure perpetuo?* 18. *Regum privilegia de ea re*. 19. *Innocentij Tertij auctoritas*. 20. *Lege Hiſpana Cancellario prælatus*. 21. *Quis iure tem-*

temporario? in eandem rem diplomata Pontificum.

16 QVEMADMODVM in Aula Occidentis, qui Sacello Palatino cum summa potestate præerat, Apocrisiarius fuit appellatus, Custos Palatij, & communius Archicapellanus; & in Imperio Orientis, qui Clero Imperatoris erat præfectus, Protopsaltes fuit dictus; qui Imperatricis, Domesticus: ita in Aula Hispana summum Regij Sacelli moderatorem, summum etiam seu maiorem Capellanum, usque abs vetustis temporibus dicere solemus: nominis vetustas cum dignitate contendit: adeò ut iure meritoque possimus illum appellare, culmen & apicem cæterarum dignitatum Palatinarum: vt in aliorum Regum Aulis dictum obseruavi. Reges ipsi Castulonenses hoc iudicium protulere de summo Aulæ Capellano: quā proinde dignitate non queslibet Antistites exornarunt, sed ad eam insigniores evexerunt. Sic lege[a] alibi citata desinere in ea verba: *El Capellan mayor del Rei ha de ser de los mas honrados i mejores Perlados de su tierra.*

[a] L. 3. tit. 2. part. 9.

17 Hinc factum existimo ante hanc legem, ut Reges ijdem (cum singulari observantia colerent D. Iacobum Hispaniæ tutelarem, imò

Hispanorum ducem, cuius esse vexilliferos ipsimet Reges gloriantur) loco non vulgaris beneficij Archiepiscopum Compostellanum dignitate summi Capellani, & quidem iure perpetuo, condecoraverint. Quemadmodum etiã in Gallijs Episcopus Engolismẽsis Regũ Gallorum summum Capellanum se asserit, quoties Reges in Aquitania versantur: & quidem à vetustissimis temporibus, cùm [a] Laudunus eius Ecclesiæ Episcopus perhibeatur summus Capellanus Pipini cognomento Brevis. Hic fortè est Launus ille, de quo Monachus Engolismensis in vita Caroli Magni, ex editione Petri Pithæi, scribit à Pipino eiusdem Imperatoris patre à Capellano factum Episcopum eiusdẽ urbis.

*Buleng. de offic. Regni Galliæ.*

18 Archiepiscopus Compostellanus duo exhibet huius Regij beneficij [b] privilegia. Vtrũque irrogavit & subscripsit Alfonsus Sextus, qui primus in Hispania fuit dictus Imperator. Primũ. II. Idus Augusti anno Christiano 1140. Eræ Hispanæ 1178. Alterum VIII. Idus Iunij anni subsequẽtis 1141. Eræ Hispanę 1179. Porrò in ijs præter dignitatem summi Capellani iure perpetuo collatam, Cancellarij Legionensis munere ornatur. Hanc eandem prærogativam illi confirmavit Ferdinandus Rex, & eius nominis secundus duobus etiam privilegijs, quæ sunt subscripta ab eodem. Primum

*b Ex Archi. Eccles. Compostell.*

VII. Ka-

V II. Kalendas Augusti anno 1176. Eræ Hispanæ 1214. & alterum duobus interiectis annis nempe 1178. Eræ Hispanæ 1216. XI. kalendas Octobris. Adservantur hæc privilegia in Archivio Ecclesiæ Compostellanæ. Hic est Rex ille qui laudi sibi vertit, & honori non mediocri D. Iacobi *Vexilliferum* vocari: nimirum ut intelligerent Hispani sese Apostolo duce & auspice bella feliciter conficere, cuius vexillum Reges ipsi anteferunt.

19 Hæc privilegia vera esse & non fictitia comprobatur luculento testimonio Innocentij III. Pontificis Romani. Is enim in epistola non brevi ad Petrum Archiepiscopum Compostellanum, præter multa alia, has etiam dignitates Palatinas, summi scilicet Capellani & Cancellarij Legionensis auctoritate Apostolicâ confirmat. *Præterea*, inquit [a], *Regalem Capellaniam & Cancellariam, quam bonæ memoriæ Alfonsus illustrissimus Hispaniæ Rex Ecclesiæ vestræ concessit, & scripti sui paginâ roboravit.* Magna certè beneficia liberalitatis Regiæ, & indicia non obscura singularis cultus, quo Reges Hispani Apostolum Hispaniæ Patronum sunt venerati.

[a] *Innoc. III. lib. 3. epistol. pag. 496. editionis Venetæ ann. 1578*

20 Imò cùm Archiepiscopus Compostellanus eâ duplici dignitate summi Capellani, & Cancellarij esset insignitus, visus est mihi in hac parte superasse Archicapellanum Aulæ

Occidentis. Hic enim rei tantùm sacræ fuit summus moderator. At Compostellanus Antistes non modò sacra omnia tractavit, verùm etiam negotia pertinentia ad Rempublicam ob Cancellarij munus procuravit. Quamvis hæc duo officia naturâ suâ fuisse distincta liceat observare ex descriptione officiorum domus Regiæ, quæ habetur in legibus Hispanis: item summum Capellanum Cancellario antelatum. Cùm enim Rex primo loco illum collocasset, Chancellario tribuit secundum: *Chanceller*, sunt verba a legis, *es el segundo official de casa del Rei* (de summo Capellano sermo præcesserat) *de aquellos que tienen oficio de poridad. Cà bien assi como el Capellan entre Dios, è el Rei en fecho de su anima: Otrosi lo es el Chanceller entre el, è los omes, quanto en las cosas temporales.* Hæc ratio, quæ additur, rem magis confirmat.

a L. 3. tit. 2. part. 9.

21 Sed necessitas assiduitatis, quam residentiam appellamus, nō patitur Archiepiscopum Compostellanum diutius abesse à caula sui gregis, & adesse in Aula Regis. In qua si continenter degat, oves illius fidei commissæ non mediocre patientur detrimentum. His enim temporibus Regum domicilium longè distat à diœcesi Compostellana: in qua etiam si sit assiduus, ut par est, Sacellum Regium capite caruerit, & Antistite. Vnde ad hæc incommoda vitanda prudenter fecit Philippus Pru-

dens, dum auctoritate Pontificiâ [a] alium designavit summum Capellanum, qui absente Archiepiscopo Compostellano id munus obiret. Is igitur præterquam quòd Sacello, & Sacellanis Aulicis præest cum summa potestate, cæteros etiam Aulicos, qui domus Regiæ ministerijs addicuntur, necnon omnes, qui Aulam sequuntur negotijs agẽdis, subditos habet, subjectosque.

[a] Bulla Pij V. ann. 1567

Quâ in re dignum duco animadversione, summum Capellanum, qui hac tempestate præficitur Sacello Regis nostri, à quo designatur & eligitur, præter Pontificem Romanum non agnoscere alium supra se. Vnde ut suo munere iure fungatur, nullâ aliâ indiget nominationis schedulâ (quod non fine causa dico, licèt subobscurè) etenim Philippus II. ut iterum repetã codicillis Pontificijs Pij VI facultatem obtinuit designandi & eligendi summum Capellanum quem vellet, dignum cæteroqui & idoneum. Quod nuperis annis confirmavit alio diplomate Paulus V. [b] petẽte Philippo III. Quamobrem, qui hodie præest Regio Sacello cum eroget in pauperes stipẽ Regię liberalitatis, tum Capellanus maior, cùm Eleemosynarius maior dici, & inscribi potest sine invidia.

[b] Ann. 1614

Qui hodie Regia nominatione, & facultate Pontificia antedicta præest Sacello Au-

læ

læ Hiſpanæ eſt ILLVST. ET REVEREND. D. ALPHONSVS PERESIVS GVZMANIVS, INDIARVM PATRIARCHA. De quo Capella REGIS CATHOLICI meritò gloriatur, cũ in optimo Antiſtite præter ſplendidiſsimam proſapiam GVZMANIAM DVCVM MEDINÆ SIDONIÆ, tot animi ornamenta exaggerata intueatur, ut abſq; metu adulationis ſibi plaudat, & gratuletur ob dignitatem ſibi auctam, & amplificatam tanto ſacrorum Principe. Soſpitet illum Deus noſtro bono: iiſque donis cumulet, & honoribus adaugeat, quos augurantur rei divinæ Religioſa cura, & pervigil adminiſtratio; atque egregiæ animi dotes, quarum agmen ducit BONITAS HÆREDITARIA.

# DE DIGNITATE.

## CAPVT. IV.

### SECTIO PRIMA.

1 *SAcellani Aulici in quo pretio? 2. Sacellum Regium quibus apertum? non vulgare beneficiũ. 3. An filij Davidis fuerint paternæ Aulæ Sacerdotes? 4. Sacello Regio cognati Re-*

*Regum nomen dedere. 5. Historia de Episcopo quodam, & Sacellano consanguineo Caroli M. 6. Procerum filij in Sacellanos Aulæ Germanæ legi ambierunt. Quo tempore, & qua occasione? 7. Capellani subscribēdo Comitibus prælati. 8. Is honor gradus ad summa Sacerdotia. Concilium Tullense in eam rē 9. Capellanis quæ munera, & quàm honorifica in Republica obtigerint? Legati, & amici Principū. 10. Excipiunt Pōtificem Romanum. 11. Deducunt. 12. De Romana sede optimè meriti. 13. Cancellarij, & Consiliarij Principū. 14. Duces copiarum. 15. Vindicati ab infamia adversus Bulengerum. 16. Ranulphus Sacellanus Regis Angli illaudatus. 17. Otto Henrici IV. Imperatoris in Sanctorum numerum relatus. Eiusdem vitæ Anacephaleosis.*

1 PROSEQVAMVR nostram dissertationem, & ostendamus quo in pretio & æstimatione extiterint antiquitus in Aulis Regum & magnorum Principum Aulici Sacerdotes, quos vocamus Capellanos, & qui

qui illorum ordini consueverint adscribi? Planè comperi ex vetustissimis Auctoribus præcipuo loco in Aula extitisse, & non quoslibet allectos. Licèt carptim hæc collegerim, cùm nullus de hoc argumento, quod ego sciam, anteà scripserit ex instituto. Vnde initiò ausus sum dicere, me primùm occasione spicilegij, de hac re iustos manipulos colligere.

2 Sacelli Regij expressiorem mentionem habemus apud Monachum [a] Sangallensem (occasione temporum, & vitæ Caroli M. ut alibi annotavimus) & planè honorificam. Ex qua, & ex [b] Concilio Tullensi posteriùs laudando, alijsque eius ætatis scriptoribus nō nemo [c] elicit Sacellanos Regios ijs tēporibus, *pene pari cum Episcopis honore fuisse habitos*. Licèt enim ad summa Sacerdotia nondum essent evecti, ad ea tamen Aulæ ministerium, cui addicebantur, eaque dignitas Palatina gradum faciebat. Hinc factum est, ut Reges & Imperatores in ea Christiani Orbis parte non obvios quoslibet in Sacellum suum allegerent. Cuius aditum loco nō vulgaris beneficij sibi aperuit nobilitas, & litteratura interdum, sed cum probitate coniuncta: id liquet recolenti quid effecerit Carolus M. cū eo qui & graphicè, celeriterque scribere, & plurimas litteras dictare sciebat, licèt nō admodum splendido loco natus. dotes verò illę, ut ferebat temporum condi-

[a] *Monachus Sāgall. in vita Caroli M. extat in tom. 1. antiq. lect. Henr. Canis.*
[b] *Conc. Tullense in proclamat. Caroli Calvi.*
[c] *Ioan Files. in querela Eccl. Gallic.*

ditio disciplinis parum imbuta non parvi fiebant. Carolus cooptavit hominem inter Aullicos Sacerdotes: factũ ipsum habemus delineatũ in Capellę notione. Verùm, ut adnotavi, patebant fores Regij Sacelli viris ut plurimũ virtute & genere prę stantibus. Quod benè possumus asserere ducti non levi cõiecturâ, imò exẽplis probatissimis demonstrare. Scimus enim Capellanorum sodalitati non modò nomẽ dedisse viros primariæ nobilitatis, florem populi illibatum; sed etiam *illustres animas* Regum volui dicere cõsanguineos, qui Reges ipsos & Imperatores arctissimâ cognatione attingebant.

3 Ad fidẽ astruendã meis dictis uterer testimonio sacro rũ Bibliorũ; in quibus legitur, David filios (quo [a] loco officia domus Regiæ describuntur) in Aula patris Sacerdotio esse functos: *Filij autẽ David erant Sacerdotes Dei*. Sed ab eo abstineo, quòd me non lateat sacrorũ Annaliũ triumviros [b] Tornielũ, [c] Serariũ, [d] Salianũ ex Pagnini sententia, & aliorũ aliter sentire. Nimirũ David filios re verâ Sacerdotes non fuisse, neq; Sacerdotũ classi adscribi potuisse; cùm non fuerint orti ex tribu Levitica, sed ex ea, quæ dicebatur Iudæ, in qua David pater cẽsebatur: quod neq; potuit Regis indulgentiâ cõcedere, cũ fuerit Iure divino constitutũ, quod nulla humana potestas poterat infringere. Vnde Pagninus, Septuaginta Interpr. & alij nõ Sacer-

a *Reg. 2. c.*

b *Torniel. in Annal. sacris quarta mũdi ætate anno 2993.*

c *Serar. in lib. 2. Regum cap. 8.*

d *Salian. to. 3. Annal. anno 2995.*

cerdotes vertūt, sed Principes, Magnates, Primores, Aularchas, viros honorabiles. Quâ verò analogiâ dicantur Sacerdotes ex vulgata editione Latina eſt negotium hominis, qui ex inſtituto interpretatur Sacra Biblia.

Neque etiam exempla adducam ex profana hiſtoria, & Helleniſmo petita (id initiò ſum profeſſus) quamvis Romæ ſacra facerent orti de gente Patricia; & primus a Romulus, licèt parum deditus rei ſacræ, Sacerdotes eos elegerit, qui virtute & genere cæteros antecellerēt: in qua etiam Republica Principum filij ſunt traditi populis b Hetruriæ diſciplinâ ſacrorum imbuendi: atque etiam Athenis Atticis Pritanea ſacra ab ijs fiebant, qui maiori erant poteſtate prædití.

a *Dionyſ Hal. c. lib. 2.*

b *Roſin. lib. 3. antiq Roman. c. 2. & 11. Valer. Max. lib. 1. cap. 1.*

4. Aliquantulum hæc facerent ad rem; ſed alia occurrunt, quæ acu tangunt quod aſſeruimus. In Aula & Imperio Caroli M. & poſterorum viri Regio ſanguine prognati Capellæ Regiæ miniſterio addicebantur. Sic Drogo, ſeu Druſius ipſiuſmet Caroli nothus, natus ex pellice non re, ſed nomine Regina, fuit in Aula Sacellanus; qui deinde Sacello præfuit factus ſummus Capellanus Ludovici Pij fratris, & Lotharij nepotis, non Caroli Calvi, ut ſuprà dixi, licèt hoc ſit contra c Bulengerum. Item ex eiuſdem Aulæ, & Regni proceribus Hilduinus inter Capellanus recenſetur: cognatus

c *Buleng de off. Reg. Gal.*

gnatus enim fuit Lotharij Regis Lotharingiæ, in cuius Sacello id munus exercuit. Hũc deinde idem Rex mortuo Theodorico Cameracẽsi & Atrebatensi Episcopo in defuncti locum suffecit, licèt irrita fuerit electio, utpotè facta contra Canones Pontificios: quæ omnia colligimus ex epistolis Nicolai [a] Papæ ad Hincmarum [b], & Hincmari ad Nicolaũ, & Scriptoribus [c] eius ęvi, & earum rerum. Hilduini etiam meminit incertus [d] Auctor vitæ Ludovici Pij, & Capellanum disertè vocat. Licèt interdum hoc nomine appellarẽt ipsum etiam Archicapellanum: quo munere esse functum in Aula Hilduinum non absque probabilitate nonnulli [e] asserunt, licèt de Aula posset dubium exoriri.

5 Quod verò Regum cognati inter minores etiam Sacellanos connumerarentur, declarat non illepida historia, quam refert Monachus [f] Sangallensis de Episcopo nescio quo, sed dicacissimo, & de Carolo Magno dum sacris operabatur. Eam ego referam verbis historici, & alijs difficilè posset enarrari: *Post tempus verò non longum*, ait Sangallensis, *cùm quidam iuvenis cognatus Regis optimè in quadam festivitate cantaret Alleluia, dixit Imperator ad eundem Episcopum: Benè modò cãtavit ille Clericus noster. Qui iuxta consuetudinem suam iocular iter illa verba suscipiens, & illum Imperatoris cognatum ne-*

a *Nicol. Papa epist. 63. 64. 65. to. 3. Concil. p. 1.*
b *Hincm. epist. extat in Cod. piar. do nat. Auberti Miræi c. 17.*
c *Balder. in Chronico Camaraf. lib. 1. cap. 48. Floroard. lib. 7. cap. 17.*
d *Incert. Auctor vitæ Ludov. Pij.*
e *Buleng. de offic. Regni Galliæ.*
f *Monachus Sangall. in vita Caroli M. lib. 1. cap. 21.*

*nesciens, respondit: Sic sic omnes perriptarij possunt bubus agriculantibus vetrenere. Ad quod improbissimum responsum fulmineas in eum acies Imperator intorquens, attonitum terra prostravit.*

Metum, & examinationem Episcopi confirmarem testimonio scriptoris Carolo ipsi ab Historijs, & à Secretis; nisi illius fidem suspectam fecisset livor inimicorum. quorum malignitate est effectum, ut in commentaria viri pij, & eruditi anilia, & puerilia irrepserint: quod prodidit Iulianus in Chronico anno DCCCXXXVIII. qui auctor anno superiori lucem aspexit erutus ex Bibliotheca Olivarensi operâ V. C. D. Laurentij Ramirez de Prado Regij Consiliarij in supremo Senatu Indiarum: quem meritò Iulianus suum Aesculapium agnoscit, & in magna sui parte sentiet propediem Luitprãdus. Scriptor verò, qui Sangallensi suffragaretur, esset [a] Turpinus Rhemensis præsul, qui Caroli gesta posteritati commendavit. Nam inter cætera penè antidoxa, quæ de eiusdem Imperatoris aspectu, & totius corporis symmetria conscribit; tribuit oculos *Leoninos scintillantes, ut carbunculi*, & *statim* (sunt etiam eiusdem verba) *perterritus erat, quem ipse irâ commotus apertis oculis respiciebat.* Quod si verba hæc Turpini, vel alterius cuiuspiã dolosè apposita, Sãgallensi auctoritaté non addunt, eius certè fidem non elevant.

[a] *Turpin. in vita Caroli cap. 4.*

6 Sed

6 Sed demus raros, aut perpaucos è stirpe Regum in Sacellanorum Aulicorum numerũ esse relatos; at innumerabiles comperimus minorum Regulorũ, & virorum Principum filios, cognatosque eo munere in Aula esse functos. Quod facilè ijs persuasero, qui velint in memoriam revocare ea tempora, quibus Imperatores Occidentis ius instituendi, seu investiẽdi Episcopos per baculum & anulum sibi asseruerunt. Quæ res in Ecclesia Catholica tot, tantasque turbas per quinquaginta annos excitavit, quot quantasque referunt eius seculi Scriptores, & ex ijs Sigonius, Baronius, Gretserus. Donec Gregorius VII. duobus Concilijs Romanis, Victor III. Synodo Beneventanâ, Vrbanus II. Concilio Melphitano rei modum imposuere.

Quamvis enim summi Pontificis permissu, concessu & privilegio posset laicus per anulum & baculum conferre investituras; nunquã tamẽ politico Magistratui, ex ipso officio quo fungitur, potuit competere ius istud investiendi ad functiones, & dignitates Ecclesiasticas. Eâ igitur tempestate quamplurimi Procerum filij, & cognati Sacelli Regij ministerio addicebantur. Hoc luculentis verbis tradit priscus & Anonymus Auctor vitæ sancti a Ottonis Episcopi Bambergensis, & Pomeranorum Apostoli: *Per id tempus*, inquit, *Imperatores*

a *Incert. Auctor vitæ Sãcti Ottonis cap. 3.*

*Ecclesiarum investituras conferebant: & quoties Episcopus aliquis decessisset e vita, Ecclesia cui praefuerat pedum, & anulum ad Imperatorem transmittebat; ab eius Aula petens sibi dari Episcopum. Itaq; multi nobiles, & praestantes viri cognati & filij Principum Imperatoris Aulam sequebantur, Capellanorum ei ministerium exhibentes spe alicuius Episcopatus obtinendi.* Quibus postremis verbis habes causam. Vnde est credibile in Aulis aliorum Regum, qui non sibi arrogarunt ius Litui, & anuli, idest, investiendi; sed ius aliud habuere offerendi Sacerdotes, & designandi ad sacras praefecturas; idem in more positum fuisse, ut scilicet magnatum filij Aulicorum Sacerdotum Collegio nomen darent.

7 Cùm igitur, ut initiò dixi ex bonis Auctoribus, Capellani Regum eâ tempestate penè pari cum Episcopis honore haberentur, nihil miror subscriptionem quandam, licèt subsequentibus temporibus; quam notavi in [a] diplomate Idae Comitis Boloniensis, eius quae fuit mater Godefredi Bullionij primi Ierosolymorum Regis: in eo subscribendo Capellani Comitibus praeferuntur, subscriptio sic habet.

b *Auber. Miraeus in Cod. donat. piar. cap 58. ann. 1096.*

*Signum Lamberti Capellani.*

*S. Ruberti Capellani.*

*S. Gerardi Comitis de Gelre, & fratris eius Henrici.*

Tanta ratio Capellanorum habebatur vel in Au-

Aulis Regulorum, qui tamen ab origine Regum erant deducti.

8 Atqui præcipuo loco Sacellanos Regum in Aula extitisse, idque munus loco non vulgaris beneficij fuisse datum, tanquam digito cõmostrat locus quidam, quem non inventum reperi in Concilio [a] Tullẽsi, illius acta fortè percurrens. Cùm Rex Francorũ Carolus Calvus invehetetur ibi vehementiùs in VVenilonẽ Archiepiscopum Senonẽsem porrecto manu propriâ libello accusatorio ad Episcopos trececim, qui illuc convenerãt ad VVenilonis causã diiudicandã, eundemque; si res ita ferret, ut tulit, exauctorãdum; ut hominem ingrati animi argueret inter cætera collata beneficia Regiâ liberalitate, Capellani concessam dignitatem potissimùm obiectat: *Clerico meo in Capella mea mihi servienti*, ait præter cætera: quibus voluit declarare Sacellum Regium patefecisse aditũ VVeniloni ad Ecclesiã Senonẽsem. Sed hęc posteriùs dicemus acturi de beneficijs Regijs, & honoribus, quibus Sacerdotes Aulici ornabãtur.

[a] *Cõcil. Tullense celebratũ ann. 859. sub Nicolao I. tom. 3. Cõcil. part. 1.*

9 Ad dignoscendam etiã Capellanorũ dignitatem & æstimationem, nõ abs re facturum puto, si indagavero an illi aliquãdo præter ministeria sacrata, Regum & Reip. commodo operam aliquam præstiterint, eamque egregiã? Planè comperio Regum Sacellanos aliquam Reipublicæ partem attigisse. Vetustissimis

temporibus, nempe anno 751. nescio an in orbe Christiano aliud negotium maioris momēti fuerit actum, quàm abdicatio Childerici & electio Pipini in Regem Francorum. Cùm nimirū Rex ille ultimus Merovingiorum vecors, & socors, desidiæq; deditus nulla Regni cōmoda procurabat. Vnde omnis, Regni ordo legationē ad Zachariam Pontificē Romanū decrevit, quâ illius iudiciū exquireret, quisnam esset habendus, & nominandus Rex? Is ne qui nulla Reipublicæ negotia sustineret, an alter qui curarū mole premeretur? ut nimirum Zacharia ita cēsente Chilpericus è solio deijceretur, qui cognomento stupidus titulo tenus Rex erat, Pipinus diademate potiretur, penes quem stabat summa rerū. Ad hæc verò conficienda opus erat viris, quibus dexteritas ingenij inesset. Vnde missi sunt ad eam legationem obeundam è Sacello Regio Fulradus Capellanus, ex Episcopis Antistes Vvirzeburgensis. Qui Pontificē adeuntes susceptum negotium transigêre, rebúsque ex sententia peractis, ad suos illud responsum retulêre: Pōtificiâ auctoritate illum Regno, & Imperio dignum videri, qui Reip. commodis serviret. Quamobrem Franci detonso, & detruso in Monasterium Childerico Pipinū Regē elegerunt. [a] Aymonius, seu Adelmus alterius annalibus insertus sic rem enarrat: *Burchardus Vvirzerburgensis* *Epis-*

*a Aymon. sive Adelm. lib. 4. de gest. Franc.*

*Episcopus, & Fulradus Capellanus missi sunt à Pipino Romam ad Zachariã Papã, ut consuleret Pontificẽ de causa Regum, qui in illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum Regis, sed nullã potestatem Regiã habebant. Per quos dictus Pontifex mandavit melius esse illũ vocari Regem apud quẽ summa potestas contingeret. Dataq; auctoritate sua iussit Pipinũ Francorum Regem institui.* Et cætera quæ sequũtur, & alio spectant. Quæ cùm ita se habuerint, & partes eius negotij Fulrado Capellano fuerint datę, mirũ nõ videri debet, si Pipinus conscẽso Regni solio Fulradũ ipsũ carũ in paucis habuerit, & summis honoribus ornaverit.

10 Hinc inquam factum existimo, & in pretium novatæ operæ, ut apud Pipinum Regni iam potitum gratiosus semper vixerit (privatum Hispani dicerent) ascitus inter Consiliarios, & amicos. Cuius operâ proinde Pipinus usus fuit in rebus arduis & honorificis. Cùm enim, ut temporum seriem sequamur, annis cõsequentibus [a] Stephanus II. P. R. in Galliam perrexerit, auxilia petiturus à Pipino (quẽ Zacharias decessor Regni beneficio sibi obstrinxerat) adversus Aistulphum Longobardorum Regẽ; qui D. Petri patrimonio inhiabat (imò quod non modò spe devoraverat, sed re ipsa latum Romanæ sedis dominatum occupaverat) Pontificẽ Gallias ingredientem Fulradus Capellanus (alij vocant Floradum Abbatem)

[a] *Baronius anno 754. Sigonius lib. 3. de Reg. Ital.*

 èvi-

è viris ſacratis, & Rhotardus Dux è profanis exceperunt. Progredienti deinde ad Pontigonem Pipinus Carolum filiũ, qui poſtea à magnitudine retũ geſtarum Magnus eſt appellatus, obviam miſit cum non modica optimatũ manu, ipſe verò ad tertium lapidem ſe obtulit cum uxore & filijs, atque ad Pontificis cõſpectum de equo deſcendens, ſeque ad terram inclinans reverenter eum excepit. Et cum aliquo etiam ſpatio ſtratoris operam exhibuiſſet cunctorum canticis & laudibus, concurrente populo in Pontigonis Regiam perduxit.

11 Præterea Fulradus Regis Capellanus non modò Pontificem Regni limites intrantem excepit; Romam uſque deinde deduxit: quod ita accidit. Sequenti anno [a] Pipinus trãs Alpes traiecit ſuppetias Pontifici laturus adverſus Aiſtulphum; quẽ Papiæ mœnibus incluſum arctè obſedit. Cui cùm omnia in dies fierent arctiora extremum excidij periculũ pertimeſcens legatos cum liberis mãdatis ad Pipinum miſit, qui de pace ageret. Quâ perfectâ ex Pontificis dignitate Aiſtulphus obſidione liberatur: pollicitus interea ſe Ravennæ Exarchatum, & Penta polim Romanæ ſedi redditurũ. Quæ duæ Dynaſtiæ vigintiquinque urbes cõtinebant. Rex igitur rebus ex ſententia perfectis Franciam repetit, Põtificem verò ipſum Romam à Fulrado Capellano, à quo fuerat

a *Sigon lib. 3. de Regn. Ital. anno 755.*

ex-

exceptus, deducendum honorificè curavit, addito etiam nobilium Francorũ comitatu: *Ipse quidem Pipinus in Regnum suũ regressus est, & Stephanum Papam cum Fulrado presbytero Capellano, & non minimâ Francorũ manu Romã remisit.* Sũt verba [a] Aymonij, seu Adelmi, quæ postea descripsit in suo Chronico [b] Abbas Vrspergẽsis.

12 Alijs etiam nominibus de Romana sede benè promeruit Fulradus iste Regis Sacellanus. nam præter quàm quòd Pontificẽ excepit, & deinde per urbes parũ amicas tutè Romã deduxit; eiusdẽ diligentiâ est affectum, ut Aistulphus pactis & conventis staret, cæterà solitus promissa parum adimplere. [c] Fulradus enim, quãocyssimè Aistulphi procuratoribus comitantibus civitates Exarchatus & Pentapolis in fidem iterũ & dominatum Pontificis recepit. Quæ simul ac perfecit, Romã festinus redijt in modum triumphantis. Etenim claves omnes omnium urbium deditarum secum detulit; easque quasi in modum fascium alligatas cum novis tabulis donationis Pipini (quâ nititur D. Petri patrimonium, post eam quam fecerat Constantinus) in cõfessione S. Petri deposuit. erat confessio S. Petri locus in Basilica eiusdem, in quo corpus Apostoli religiosè adservabant, & ante quẽ Pontifices Romani res maioris momenti perficere solebant: *Ad recipiendas verò civitates misit ipse Christianissimus*

[a] *Aymo. seu Adelm. lib. 4 de gest. Frãcor.*

[b] *Abb. Vrspergens. in Chron. ann. 751.*

[c] *Sigon lib. 3. de Reg. Ital. an. 755.*

*Rex Francorum Consiliarium, id est Fulradum venerabilem Abbatem* (fuit Abbas S. Dionysij) sunt verba [a] Anastasij in vita Stephani II. Atqui ille hanc operam, eamque egregiã navare Põtifici Romano satagebat, de quo antea optimè meruerat. Etenim inter Regem Francorum, & eundem Stephanum internuncius extiterat, de ijs quæ agenda erant ferens, & accipiens responsa. Adeò ut ipse Pontifex dum vellet insinuare ea, quæ à Regibus Longobardis patiebatur, suas deplorans calamitates Fulradum ipsum testem invocaret: *Tamen*, inquit [b], *omnia vester Consiliarius Vvolradus (Fulradus) presbyter & Abbas unà cum suis socijs, si Deum præ oculis habent, vobis enarrare possunt.* Hic observa Fulradum ab Anastasio, & Stephano Consiliarium appellari.

a *Anast. in vita Steph. II.*

b *Baron. anno 755. ex Bibliotb. Vaticana.*

13 Et planè fuisse aliquando Capellanos Regibus à Consilijs nõ ambiget, qui posteriùs observabit, ascendisse eosdem in Republica profana etiam ad culmen dignitatũ Palatinarum. Ita dicemus suo loco sanctum. Ottonem Capellanum Henrici IV. Imperatoris functũ fuisse in eiusdem Aula munere Cancellarij, qui erat honorum apex.

14 Quoniam verò deinde deinceps est effectum, ut ijdem Longobardorum Reges, qui nolebant Romanam Ecclesiam quidquam in Italia posidere, supplices ab ipsa Regnum pe-

te-

terent: quod accidit, cũ ſine prole mortuo Aiſtulpho Rachis eiuſdem frater, qui vitam Monaſticam profeſſus Regno ſe ſpoliârat, iterum amore Regni captus adverſus Deſideriũ arma ſumpſit; Deſiderius Regni potitus non fuiſſet, niſi Stephani Pontificis auctoritas acceſsiſſet. Eam enim reveritus Rachis relictâ militiâ iterum ſe Deo reddidit. Sed cùm ipſe vir cœnobita adverſus Deſiderium exercitum cõparabat, alius vir ſacratus iuſſu Põtificis copias ductabat. Is erat [a] Fulradus noſter Pipini Conſiliarius & Capellanus. Venit enim Stephano petente ſuppetias laturus Deſiderio, Francorũ turmas agẽs ductor ipſe copiarũ. Cuius manu, & conſilio uſus eſt Pontifex ad eas turbas ſedãdas. De quo cùm plura dixerimus, annotare ſolùm volumus; Fulradum Regis Capellanũ, vocari interdum ab Hiſtoricis Presbyterum, Abbatem. Non alius fuit à primo: licèt iiſdem titulis non ſemper cohoneſtetur, uni, tamẽ ſunt hæc omnia tribuenda. Abbas [b] Vrſpergenſis Archicapellanum etiam vocavit; licèt fateatur dici ab aliis tum Abbatem, cùm Presbyterum. Neque à vero longè abeſſet, qui cenſeret Fulradum ipſum tot honoribus auctum, Capellanum interdum fuiſſe dictum per Antonomaſiam: quò ſimplici nomine abſque alia compoſitione ſummum Aulæ Sacellanum aliquando denotarunt. Id enim capite præte-

[a] *Anaſtaſ. in vita Stephani II.*

[b] *Abbas Vrſpergenſ. in Chron. anno 755.*

terito innuimus. Sed parum est in his apinis & tricis immorandum. Drogo etiam Archicapellanus cum [a] Adelberto Comite missus olim legitur à Ludovico Pio fratre, & Imperatore ad tuendum littus Rheni Orientale adversus motus Ludovici filij.

a *Incert. Auctor ex editione P. Pithai.* *Anno 839.*

15 Posset fortasse quispiam Capellanorum dignitatem in Aulis, & cum Regibus familiaritatem in domestico convictu ex eo etiam ostendere, quod nonnulli tradũt Auctore Gregorio Turonensi. Olim nimirum à Fredegundi duos Clericos Palatij in Austrasiam submissos cum mandatis, ut Childebertum & Brunichildem, quam impotenter oderat, interimerent. Vnde autumant fidos fuisse, & arcanorum cõscios. Sed nolo ego meis sodalibus inde laudẽ quærere, unde potius infamiam pararem. Imò mihi iure irascerentur, nisi hoc loco modestè & amicè conquerer de [b] Bulengero, qui dum minuta quædam de Clero Regis Galliæ colligit, hanc fabulam etiam assuit: & dum vult de Sacellanis Regum fortasse benemeritus videri, non levem notam eorundem nomini, & ordini inurit. & immeritò, cùm in [c] Turonensi, quem laudat, non legatur Clericos illos Palatinos fuisse. Ego non oscitanter illum legi; & verba ipsa hîc fideliter exscribam. Inter cætera hæc habet: *Quos cultros* ( veneno imbutos ) *duobus Clericis cum his mandatis credidit* ( Fredegun-

b *Buleng. de Cler. Regis Gallia.*

c *Greg. Turon. lib. 8. cap. 29.*

gundis) *dicens: Accipe hos gladios & quãtocyùs pergite ad Childebertum Regem adsimulantes vos esse mendicos: cùmq; pedibus eius fueritis strati, quasi stipem postulantes, latera eius utraque perfodite; ut tãdem Brunichildis, qui ab illo adrogantiam sumit, eo cadente corruat, mihiq; subdatur. Quod si tanta custodia est circa puerum, ut accedere nequeatis, vel ipsam interimite inimicam. merces quoque operis vestri hæc erit, ut si mortui in hoc opere fueritis, parẽtibus vestris bona tribuam; ipsosq; muneribus ditans primos in Regno meo constituã.* Et posteriùs: *Cumq; hæc mulier loqueretur, Clerici tremere cœperunt.* Et cætera quæ subduntur, quæ tantummodo declarant à Fridegundi additos animos Clericis fuisse, ampullam datam liquoris plenam; quam, ante facinus patrandum, ebiberent, ut vegeti, alacresque irent: ivisse, deprehẽsos fuisse non perfecto scelere, pœnam luisse: Palatinos autem fuisse nec verbum habet Turonensis. Hæc fusior retuli, ut ostenderem nullâ probabili coniecturâ ductum Bulengerum ad Aulicos Sacerdotes sugillandos, licèt eius mens non hæc fuerit. indicium verò illud domestici famulitij, cùm neq; appareat, levius est quàm quòd Sacellanis Regum tantum crimen appingat.

16 Non ausus sum arguere Bulengerum, quòd de Regum Sacellanis scelesti aliquid, & nefarij prodiderit. Non me puduisset eadem

re-

referre si modò vera. Quę enim unquam societas tam sancta extitit, quæ sodalitas tam religiosa efflouit, quæ interdum vel bipedum nequissimos non aluerit & expuerit? Si incipias à Collegio Apostolico, & ad nostra usque tépora descendas, multasq; Deo dicatas familias percenseas in ijs exempla improbatissima invenies. Sed succésui viro doctissimo quòd Clericis Palatinis incautè attribuerit functos esse munere sicariorũ. Hîc me nõ piget subijcere Sacellani cuiusdam Regij illaudatas actiones. Sed quia malæ ad easdem evitandas; quemadmodum solent proponi bonæ ad imitationem. Quæ referam præcipuè, ut advertãt viri Principes quibus hominibus deferant summas dignitates, vel è quibus pervenitur ad summa. Improbè se gessit in aula Vvilielmi II. Anglorum Regis Ranulphus eiusdem Capellanus, & cuius gratiam promeruit; sed malis artibus in Regiam amicitiam se insinuavit. Sic hominem depinxit [a] Vvilielmus Malmesburiensis in cõmentarijs de rebus gestis Regum Anglorum, dum describit Regis aviditatem: *Accessit avidæ menti fomes cupiditatum Ranulphus Clericus ex infimo genere hominũ linguâ, & calliditate provectus ad summum.* Idem auctor in rebus gestis Pontificum Anglorum: *Is est*, inquit [b], *Ranulphus quondam Regis Vvilielmi Capellanus. Ex quo ambiguum genere linguâ & calliditate provectus*

[a] *Vvil. Malmesburiensis lib. 4. de gest. Reg. Angl.*

[b] *Idem lib. 3. de gestis Pont. Anglor.*

*ctus ad summum, & totius Regni procurator effectus*: & mox subdit: *Quibus artibus fretus Episcopatum Dunelmensem meruit*. Sed malæ fuerunt illæ artes, ut antè innui. fuit enim auri undique corrasor, lucrum Regis ærario inferebat ex re qualibet, instar Gryphi & Harpyiæ; nova subinde compendia excogitabat canis venaticus, & accipiter pecuniæ. neque à sacro abstinuit redigens in ærarium vacui Episcopatus redditus cætera solitos servari successori. Legat hæc, & alia qui velit vænales animos detestari apud eundem Malmesburiensem in gestis Regum, & Pontificum Anglorum, & Rogerium [a] Hovedenum in Vvilielmo Iuniore. Sed mortuo Vvilielmo cùm fratri Henricus succesit, pœnas vitæ pares Ranulphus exsolvisset, nisi carceri addictus custodias corrupisset; & Robertum [b] Northmanniæ Ducem, ad quem confugit, in Henricum fratrem commovisset. Ad hunc etiam Ranulphum apud Pontificem Romanum Paschalem Secundum accusatum referunt nonnulli verba Anselmi [c] Archiepiscopi Cantuariensis. de eodem certissimè loquuntur Epistolæ aliquot Ivonis [d] Carnotensis.

Si qua verò labes nostro ordini à Ranulpho esset inusta, illam abstergeret Otto vir sanctissimus Henrici IV. Imperatoris Sacellanus.

a *Roger. Hoveden. Ann. par. 1. in Vvil. II.*

b *Matth. Paris. in vita Henric. I.*

c *Anselm. in epist. M.SS.*

d *Ivo epistol.* 153. 154. 157. 181.

In

In cuius Aula præterquàm quòd rem divinam fecit, Cancellarij munus etiam gessit, deinde Episcopus Bambergensis, & in Sanctorum numerum relatus. Qui quoniã primus citra controversiã sanctitate illustravit sodalitates Palatinas hæc excerpta ex eiusdem vita subijcere decrevi. nec video locum opportuniorem. An noster fuerit S. Eugenius III. Archiepiscopus Toletanus rem nõ tam sub iudice reliquimus quàm eius vitæ actiones, quandiu in Aula degit, nobis non innotuere.

# EXCERPTA EX VITA SANCTI OTTONIS, CAPELLANI HENRICI. IV. GERMANIAE IMPERATORIS, EPISCOPI BAMBERGENSIS. EXTAT APVD SVRIVM TOMO 4. DIE 2. IVLII: VIXIT ANNO M. C.

17 IN VTRAQVE Republica sacra & profana ad omnes dignitatum gradus ascendêre Regum Sacellani, id liquidò constat nostram dissertationẽ percurrenti. Mortalia & caduca abũdè habuêre. Nunc superest videndum, an aliquis ex eorũdem ordine meruerit cœlestes honores? id est, fuerit sanctorũ virorum ordinibus adscriptus? Planè nos Sacellani Aulici habemus etiam nostræ professionis Divum Tutelarem, quem imitemur, si velimus. Is est SANCTVS OTTO, Henrici IV. Germaniæ Imperatoris Sacellanus, posteà Episcopus Bambergensis, & Pomeranorum Apostolus. Vnde non abs re, de qua hactenus egi, fore arbitror, si in solatium, & bonam spem Aulicorum, Sacerdotum

tum maximè, subijciam nonnulla excerpta ex eiusdem vita, quam scripsit incertus Auctor, & Surius expolivit. Ac planè optavi semper aliquem è cœlitum numero in Sanctorum fastis reperire, qui in Sacerdotum Aulicorum ordinem relatus sanctitate floruisset. Ita enim fieret, ut Aulici (præsertim Sacerdotes) de sua vivendi ratione benè sperarent, neque pertimescerent sententiam Poëtæ non postremi, qui quasi de tribunali pronuntiat:

*Lucanus.*

——— *Exeat Aulâ*

*Qui vult esse pius.*

Vnde posteà integrum & vulgatum versiculũ conflarunt recentiores:

*Qui vult esse pius, Regalibus exeat Aulis.*

Habebunt Aulici exemplar, quod sibi proponant imitandum. Porrò S. OTTO *Parentes habuit* (ait Paraphrastes eius vitæ) *nobilitate magis, quàm rerum opulentiâ insignes.* Bertholdus enim Comes fuit pater, Sophia illustris fœmina mater. uterque viros Principes cognatione attingebant. Sed ut ijsdem natalibus erant pares, ita opibus impares censebantur. Qui cùm filium OTTONEM litteris erudiri curassent, inter vivos esse desierunt. OTTO verò ne esset oneri familiæ parum opulentæ, in Poloniam peregrè est profectus, ubi non erubuit litteris alios imbuere, ut accipiens Minerval stipendio honorario vitã sustentaret. *Brevi* (ait laudatus Scriptor)

ptor: *Sibi & rem auxit familiarem, & honori habitus est.* Sed quod illi munivit viam ad omnē beatitatem tum humanam, cùm cæleſtē fuit hoc, quod ſubdit: *Parſimoniæ, frugalitatis, & continētiæ ſtudijs eruditionem ſuā illuſtravit.* Cùm etiā pulchro, & liberali eſſet aſpectu; ea corporis concinnitas gratiā illi conciliabat. Sed maximè ſe inſinuavit in amicitiam, & familiaritatem Magnatum; quòd videretur natus rebus agendis, opportunus & aptus legationibus obeundis, & ferendis reſponſis ad viros Principes ultro, citroque. His artibus & dotibus fuit aſcitus in Aulā Ducis Poloniæ, qui ob cauſam, quā antè dixi, Ottonē utpotè induſtrium legatū miſit ad Henricū Germaniæ Imperatorem, & eius nominis Quartum. Siquidē obierat Ducis coniux, & deſponſata eidem fuerat Iuditha Henrici ſoror. Ad cuius Cæſaris Aulam non ſine numine Otto pervenit ad eam legationem obeundam. Nam beneficio Imperatoris allectus fuit inter Aulicos Sacerdotes, in cuius Sacello cum cæteris, quos Capellanos vocabāt, diutius permanſit. Id verò contigit eo tempore, quo, ut alibi dixi, Magnatum, & Procerum filij loco nō vulgaris beneficij inter Sacellanos Palatinos allegebantur. Cauſam etiam dedimus verbis eiuſdem Auctoris, qui vitam S. Ottonis conſcripſit, quia nimirū Germaniæ Imperatores nō contenti iure offerēdi Antiſtites,

seu designandi, ius ipsum summi litui, anulique dandi sibi arrogarunt (iure an iniuriâ Pontifices Romani definiere). unde fiebat, ut nobilissimi quique Capellanorum munere in Aula Cæsarum fungerentur ob spem ascendendi ad sacras quasque Præfecturas.

Verùm Otto inter Sacellanos Imperatorios cooptatus se gerebat modestißimè. Vitabat enim contẽtiones, rixas oderat. Ita se, suasque actiones moderabatur, ut cùm nobilis esset in primis, & omni scientiarum genere instructus, apud Imperatorẽ verò in gratia præcipua, nec supra cæteros elato supercilio se extolleret, nec infra eosdem nimis humiliter se deprimeret: *Inter quos* (Capellanos) *eâ se moderatione & æquabilitate comparabat Otto: ut neque ex sublimitate invidiam, neque ex abiectione & vilitate contemptum sibi conflaret.* In summa ijs virtutibus S. Otto fuit ornatus, ijsque dotibus à natura locupletatus, ut Imperatoris iudiciũ in omni Reipublicæ parte promeruerit. Nõ modò enim in Aula rem divinam fecit, gravia etiã politicæ administrationis negotia procuravit. Siquidẽ processu temporis fuit à Cæsare Cãcellarius electus: quod munus qui fuerat in Aula assecutus, ad summa pervenisse censebatur. Vnde Cancellarij dignitatem meritò cũ alijs, & non semel appellavimus: *Solstitium honoris.* Proferamus Scriptoris verba: *Accidit tum, ut*

*Imperatoris Cancellario in Episcopatum promoto in eius loco Otto subrogaretur.* Et alijs declarat quẽadmodum Spartam suam ornaverit, & se gesserit in provincia sibi demandata: *Quo sane* (prosequitur) *eâ dexteritate, industriâ, & comitate perfunctus est; ut Aulici omnes multa cum benevolentia, & studiò complecterentur, eiq; deferrent.* Sed dum Otto benè promeret de Republica profana, ad procurandam Ecclesiasticam evocatur. Cùm enim anno salutis restitutæ MCII. è vivis excessisset Rupertus Episcopus Bambergensis, allataque fuissent Episcopatus insignia ad Imperatorem, anulum scilicet & baculum (ita ferebant tempora & mores, sed corrupti) & Legati viduæ Ecclesiæ Imperatori offerrent preces pro Pastore deligendo, Henricus Cæsar semestre spatium sibi permisit ad deliberandum. Non cessabat interea plebs, & clerus Bãbergensis continenter effundere ad Deum preces, ut longè optimum pastorem suo gregi despondere. Sed utinam Henricus eius nominis Quartus, & Germaniæ Imperator tam morigerus Romanæ Ecclesiæ fuisset, quàm fuit sollicitus de Bambergensi. Etenim sex mẽsibus elapsis, Legatos ad se accersit, qui ubi adfuere, bono animo esse iubet, iam futuros voti cõpotes dicit, Antistitem qualem optarẽt ab Aula habituros. Ad hæc cùm addidisset Imperator, sese solitum non mediocrem diligentiam

Episcoporum electioni adhibere, eā accuratiorem est professus ad Bambergensis Ecclesiæ spōsum seligendum. Quippe quæ fuerit ab avis, atavisque locupletata opimis prædijs,& magnis vectigalibus, adeòq; in paucis dilecta. Vnde legatis fidē suam obstrinxit,fore ut Præsulem,quem illi daret,reperiant, *Providum, sagacem, & qui eius facultates tueri norit: non vanū & superbiā tumidum.* Rei eventus suspensos tenebat Legatos Bambergenses: ecquisnam esset, quem his coloribus hactenus depinxerat Imperator? Cùm Cæsar: *En,* inquit, *præsto est,* & *manu apprehendens Ottonem (erat autem ille formâ corporis egregiâ, bonis indutus vestibus, tōsurâ & toto habitu intus, & foris Clericum repræsentās) hic est vester dominus, & Bambergensis Ecclesiæ Antistes.* Verùm Legati nōnullorum ambitiosorum intemperijs adacti eâ electione se parum contētos profitentur. Aulici enim potentiores qui sibi, vel cognatis insignem Episcopatum exoptabant, cuniculos effodiebant, ne Ottoni deferretur; neve eundem Legati probarent, omnē lapidem movebant (quamvis Otto nobilissimis parētibus esset prognatus, quod ante ediximus) flos enim Germanæ nobilitatis,& principum virorū filij in Aula Cæsarea inter Sacellanos censebantur, ut cùm occasio se offerret Antistites fierent beneficio Imperatoris; cui rē divinam peragebant. Quamobrem Legati ad

 Hen-

Henricum: *Sperabamus*, inquiunt, *aliquē ex Aula vestra Maiestatis proceribus, vel principibus nobis notum Præsulem, & dominum nos accepturos. Hic autem quisnā sit, aut unde incompertū habemus.* Sed hæc Imperatorem de sententia non movere: *Vultisne*, respondit, *scire quisnam, & cuias sit ille?* Legatis se velle respondentibus: *Equidem*, subdidit Cæsar, *pater eius ego sum, & Bamberga mater eius erit. A qua sentētia nos nō discedemus.* Ad hæc asseruit non temerè, sed maturè, & cū cōsilio in eam deliberationē ivisse: *Neque enim*, est sermonem prosecutus, *vel levitate animi, vel privatis commodis ducimur. Sed quod honestū in primis, & illi Ecclesiæ vel maximè necessarium visum nobis est, id simplici animo hac in re secuti sumus. De compertis, ut dici solet, non est incertum iudiciū. Longâ experientiâ, & probatione totum hunc hominem perspectum, & cognitum habemus. Eius fides, patiētia, longanimitas, prudentia, sagacitas, in rebus parvis diligentia, in arduis strenuitas minimè nos latent. Neque ambigere debetis eius absentiam nostræ domui non parū detrimenti allaturā, utpotè qui negotia eius omnia strenuè, ac fideliter exequi, & expedire hactenus consueverit.* Quibus dictis Legati Bambergenses Imperatoris sententiæ acquiescebant. Sed prius fuerat exploranda volūtas Ottonis. Ecquid in hac re ipse vellet, erat inquirendum. Dū enim Legati electioni contradicebāt, lætabatur animo. Vnde simulatque sedatam cō-

controversiá, persensit non se potuit continere, quin apertè repugnaret: *Hæc ut Otto audivit, ad pedes Imperatoris advolutus, ubertim lacrymas fudit. Accurrunt Legati, prostratum erigunt.*

Atqui vir sanctissimus benè sciebat quot ab infulis curæ pendeāt, quot gemitus anuli gemma tegat, quid molestiarum sub argentea Pedi bractea tinniat. Vnde non contentus fletu, ad humeros subtrahendos ab onere imponendo depromit rationes: hisque se excusat: *Ille contrà humiliter recusat, dicit se inopem, & tantâ dignitate indignum: iustius esse confirmat viros ingenuos, claros, nobiles, potentes, & divites Capellanos Cæsareæ Maiestatis eum honoris gradum obtinere.* Alia habet Auctor vitæ; quibus refert Imperatorem Ottonis rationibus fuisse parū, imò nihil motum; utpotè quas profectas sciebat à summa animi dispicientia, quibus etiam sæpè aliàs evaserat. Cùm enim Henricus Ottonem ijs virtutibus, quas suprà enarravi, efflorere compeRisset, cæteris Sacellanis, licet in Aulę ministerio antiquioribus, non rarò voluit præferre (pluris faciens in homine bonitatem, quàm antiquitatem) unoque & altero Episcopatu decorare; adeòque ad Legatos conversus dixit: *Cernitis quæ sit huius hominis ambitio? iam tertiò recusat. Duos anteà ipsi oblatos Episcopatus ad socios reiecit: iam tertiò recusat. Ecquid vobis videtur? Augustanam sedem ei tradere volumus; sed ille sciens hare-*

*reditatem, ad quam festinatur in principio in novissimo benedictione carere: eos qui ante ipsum in Aulæ nostra laboribus, & exercitio versati essent æquum esse dicebat priores quiete potiri. Idem fecit cum ei à nobis oblata est Halberstadiensis Ecclesiæ sedes. Itaq; bonâ spe ductor Bambergensi Ecclesiæ illum divinitus reservatum.* Atque ubi hæc dixit, anulum Episcopi eius digito apposuit, pedum tradidit, & designatum Præsulē Legatis attribuit. mox à tota Aula est acclamatum. Legati rem divinitùs agi cernētes, Ottonem suscipiunt, & amplectuntur, Dominum vocant, Patrem appellant.

Quod difficilem Otto se præbuerit in uno, & altero Episcopatu accipiendo nōnullis rem sinistrè interpretantibus haud magnâ laude dignum apparuerit. quasi verò dignitas Cancellarij, quâ fortasse eodem tempore (id enim nō constat) in Aula fungebatur, ægrè commutaretur cum Episcopatu Augustano, & Halberstadiensi. Erat quippe summa, & ultra quàm nemo progredi poterat. Sed cavillatores obmutescent, si consideraverint, quòd Otto neque Bambergensem Ecclesiam ambiverit, imò ad illam invitus sit evectus. De cuius opibus, ac splendore, quia meminimus paulò antè, eademque illustrissimos quosque Germaniæ Proceres competitores habuit, nihil præterea addimus.

Quoniam verò eâ tempestate Imperatores, alijque Orbis Christiani Principes, cum Pontifice Romano de investituris Episcoporum contendebāt (ut alibi annotavi) easque sibi asserebant non bono iure, sed suâ potentiâ innixi: hæc controversia Ottoni difficile negotium exhibuit. Etenim summi Præsulis diras verebatur, si eo inconsulto in Bambergensem Ecclesiam tanquā per pseudothyrum ingrederetur. Ex alia verò parte pertimescebat indignationē Cæsaris; qui omnes Imperij Episcopatus sui iuris, & muneris effecerat. Vicit tamen honestas, vicit religio, & Romanæ sedis reverentia. Nā voto se adstrinxit Bambergensis Ecclesiæ præfecturam non suscepturum nolente, & non iubente Pontifice Romano. Quamobrem è Germania discessit Romam aditurus, ut cuncta Hierarchæ arbitrio permitteret. Paschalis eius nominis II. Ecclesiam tunc tēporis regebat. Sed cùm Pontificem Romæ nō invenisset, in Campaniā, ubi degebat, Otto contendit. Atque extemplò Anagniç summum ipsum Prçsulem adit, & ad eiusdem pedes provolutus Pedum & Anulum (hæc electionis insignia illi dederat Henricus Cæsar) ante pedes itidē deponit: quæ deinde annuente, imò cogente Pontifice coactus recepit. Hoc factum Ottonis latuit [a] Bzoviū, quo luculentiùs, quàm auctoritate Gulielmi Tyrij poterat cōfirmare Ponti-

[a] Bzovius in Pōtifice Romano c. 33.

 fi-

ficem Romanum fuisse semper fontem Sacerdotij: sed quid erat quod Ottonem adhuc evocabat à præsulatu, licèt accederet Põtificis auctoritas? nimirũ animo volvebat quàm grave onus humeris imponeret: *Animo volvebat*, ait Scriptor vitę, *accuratè malitiã temporũ, angustias, curas, pericula pastorũ, inobedientiã, protervia͂, insolentiã subditorũ.* Occurrebant exẽpla Gregorij, qui latitavit in sylvis; Chrysostomi, qui in speluca, Fulgẽtij, qui in Insula; Cęsarij, qui in sepulchro. Noverat etiã opinor [a] Cypriani secessũ, Athanasij [b] fugam, Ephremi [c] Edisseni simulatam insaniam, Ammonij [d] abscissam aurẽ, ubi fuga non profecit. Nec ignorabat à [e] Synesio ad Episcopatum declinandum mortem sæpiùs optatam: quam à Deo item est precatus [f] Nilamon, & impetravit ante inaugurationem: legerat demum [g] Paulinum penè strãgulatum, Pauliniano [h] vocem interclusam, osque obturatum; dum uterque raptus ad summum Sacerdotiũ, & inviti ibant & reluctãtes. Vnde incõsulto Romano ipso Pontifice, necdum Episcopus inauguratus domum repetere statuit, & quod destinarat animo cupidus perficere itineri se dedit intẽpestâ nocte. Quod ubi rescivit Romanus Pontifex, vel invitũ ab itinere retrahi curavit; iussitq; subire onus, quod tantopere formidabat. Atque ita demũ summi Præsulis præcepto obtemperavit: sacro etiam

a *Põt. Diac. in eius vita.*
b *Sozomen. lib.2.c.16.*
c *Nicephor. lib.4.c.16.*
d *Socrat. lib. 4. cap.18. Sozom. lib.6 cap.70.*
e *Synes. epist. 11.47.49.*
f *Sozom. lib. 8 cap.19.*
g *Paulin. epist.23.*
h *S. Epiph. epist. ad Ioã. Ierosolym.*

Epis-

Episcopatus ordine est initiatus ipsius Pontificis manu eo die, quo Spiritus sanctus suo numine Apostolos afflavit. Sed hæc hactenus de vita S. Ottonis Capellani Henrici IV. Germaniæ Imperatoris, postea Episcopi Bambergensis. Solùm volumus paucis referre quomodo se gesserit in Aula, & quæ ibidem dederit sanctitatis indicia certissima. Cùm præsertim duas sibi oblatas sacras præfecturas omnino reiecerit, tertiam invitus susceperit, & cautione antedictâ, hoc est auctoritate Pontificiâ, non prorsus beneficio Cæsareo. Cætera, quæ gessit in Episcopatu, quæque etiam confecit, ut pareret fidei Christianæ, & subijceret Romanæ sedi Pomeranos adhuc Gentilium tenebris oppressos, latè prosequitur qui illius vitã primò scripsit, & alter qui deinde expolivit. Sed hæc hactenus & in Aulis, Imperioq; Occidentis.

## SECTIO SECVNDA.

18 *Clerus Græci Imperatoris: eiusdem distinctio.* 19. *Qui de eo meminerint.* 20. *Quid in Aula hodierna Bizantina, olim in Ægyptia Sultanica?* 21. *Sacellani Aulæ Græcæ, Imperatoris, quos dicunt privatos, adiuvant.* 22. *Ipsi Græ-*

*co Imperatori familiares. 23. Habitant in ipsa Aula Orientis, & qua occasione? An item in Aula Occidentis? 24. Indumenta, & color. 25. A quo legerentur. 26 Viri illustres Regũ Sacellani 27. Abbates, Episcopi, Archiepiscopi Sacellis Regijs adscripti. 28. Paulus Diaconus. 29. Franciscus Petrarcha. 30. Item Aulici Pontificij: inter eos Benedictus Caietanus, qui Bonifacius VIII. 31. Ius sigilli Capellanis condonatum. 32. De Capellanis Pontificijs. 33. Quo in pretio olim apud summũ Præsulem. 34. Internunciorum munere functi, & quàm impigrè.*

28 AD Aulam Orientis, ideſt Conſtantinopolitanam, tranſeamus. In ea Imperij parte Clerus Imperatorius (ita vocabant Capellanos, & vox iſta illic fuit inaudita) in non minori pretio, & æſtimatione eſt habitus. Fuit quidẽ in Græca Eccleſia ordo Eccleſiaſticus univerſus in quatuor claſſes diſtributus. Prima, ut dignitate præſtantior, ita ordine prior continuit Clericos, ſeu Sacellanos Imperatoris, qui illi rem divinam in Aula faciebant, imò habitabant, ut paulò pòſt dicemus.

mus. Secūda, Clericos Imperatricis, qui à primis fuêre distincti. Tertia, Clerum Patriarchæ, seu magnæ Ecclesiæ. Quarta, Exocata cælorum, qui Ecclesijs, & Ecclesiasticis quibusdam Collegijs præfuere tanquam Parochi, & Curiones. Ex Clericis Aulæ nominatim enumerat [a] Georgius Codinus Protopsalten, quem etiam ait, esse Imperatorij Cleri Exarchum. II. Domesticum, quem etiam perhibet esse Exarchum Cleri Augustæ, & qui aliquādo simul esset Domesticus Ecclesiæ. III. Protopapam, qui aliquando diversus, aliquando unus & idem in Ecclesia, & in Aula. IV. Magistrum. V. Canonarchas. VI. Lampadarium. VII. Archidiaconum. Qui verò de ijs Ecclesiasticis ministerijs in Aula, & Sacello Imperatorio plura scire cupit, legat Codinū in tractatione de officijs, & officialibus eiusdē Aulæ, & magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & in eundem Iacobi Gretseri commentaria.

[a] *Georg. Codin. de offic. magnæ Eccl. & Aulæ Cōstantin. cap. 17. n. 40.*

Quantâ verò auctoritate (quod alibi oportuerat annotare) polleret apud Græcum Imperatorem Protopsaltes, qui apud nos est summus Capellanus, declarat quod refert Zonaras in vita Leonis Armenij. Huic enim ille in re gravissima, & spectante ad negotium religiosi cultus imaginum sanctarum persuasit quod voluit. Sed utinam saniori consilio, & in meliori causa.

19 Præ-

19 Præterea Græcæ historiæ Scriptores, qui de Clero & Sacello Imperatorio meminerint (sepono alios, & maximè ex Ecclesiasticis, quos antè laudavi, cùm Sacellum Constantini Magni delinearem) non paucos offendi; licèt nemo ex instituto, omnes ex occasione loquātur. ij verò sunt Nicephorus Gregoras, Nicetas Paphlago in vita Ignatij, Cantacuzenus, Zonaras in vita Leonis Armenij, Ioannes Curopalata in vita Michaëlis Ranchabe, denique Cedrenus. Ex quibus quantum ego colligere potui Sacellani Imperatoris in Aula Bizantina gradum quendam honorificentiæ plenum obtinuêre.

20 Nescio an æmulatione eiusdem veteris Aulæ Bizantinæ, anne ex instituto falsæ religionis Turcarum dominus, qui eam Imperij partem occupavit, Sacerdotes suæ superstitionis habeat in Aula peculiares. Oportet hîc veniam præfari, cùm nemo sit, qui non indignum arbitretur permisceri hoc loco sacra cum profanis. Quod mihi hîc tribuo, ut accendantur Principes orthodoxi ad accuratam rei divinæ diligentiam, cùm eam præferant hostes iurati nostræ Religionis. Refert Philippus Lonicerus [a] in Aula Bizantina Turcica quadraginta Sacerdotes Palatinos, quos vocant Encansiler, quotidie domum, & arcem Regiā intrare: quorum stipendium in singulos dies sit

a *Philip. Lonic. lib. 2. histor. Turc. ex Ant. Monavino Genuensi.*

sit quatuor Asprorum. Qui Templum, seu Sacellum Aulæ ingressi circulo humi picto se includunt. Singuli librum manu tenent; ex quo in genua se inclinantes distincta & clara voce Psalmũ legant, quem vocant, Encam, eius prolixitatis, ut integrâ horâ duret lectio. Adsunt qui observẽt ne quis Psalmi particulam omittat. Persuasum enim ex superstitione sua habent; si quis Psalmum eius generis quadragies legat, eum voti sui in omnibus, quæ à Deo petat, compotem futurum, & ab omnibus ijs, quę animum excruciẽt immunem fore. Quę causa est, quòd singulis diebus quadragies recitari curet Turcarum Imperator, dum quadraginta Sacerdotes eum simul recitant. Quòd si diem obeat, nihilominus ad sepulchrum eius convenientes lectionem continuant: nimirũ ad noxas mortui expiandas, integrum interea stipendium percipiẽtes. Vnde est factũ, ut quotquot ex Ottomani sanguine regnarunt, totidẽ collegia Sacerdotum eius generis instituerint, qui memoriam eiusdem à quo fuerunt instituti, & fuit præmium decretum quotidiano ministerio concelebrent. Hæc ex historia eius gẽtis, & cum bona legentium venia, ut sum præfatus. Quam facilius extorsero à legentibus, si asseruero, Ægypti Sultanum, Aulicos paris religionis & superstitionis Sacerdotes habuisse: hunc enim morem Aulæ Musulmanicæ de-

prehendi, cùm Divi Francisci vitam sedulò perlegerem. Qui cùm ad Sultanum antedictũ esset profectus in Egyptum causâ fidei Christianæ propagandæ, aut ob eandem mortis obeundæ; in concertatione quadam vir cęlestis ignis amore succensus optionem dabat ad deliberandum, quæ fides esset capessenda? Christiana an Mahumetana? Vt scilicet pyra accenderetur, quam ipse & Musulmanici Sacerdotes ingrederentur: eo consilio, ut qui ex ea incombustus exiret, is suam fidem comprobaret. Displicuit Sultano hæc deliberatio; nam viderat è conspectu se proripuisse hoc audito Sacerdotem primarium ex Aulicis: *Viderat enim statim quendam de presbyteris suis virum authenticum, & longævum hoc audito verbo de suis conspectibus aufugisse*. Sunt verba [a] Auctoris, qui vitam D. Francisci suis scriptis consignavit. Cæterùm vetus Aula Bizantina eò me revocat, unde abij.

*a Ex D. Bonavent. & Chronic. eiusdem Ordin. Auctor vitæ PP. Occid. lib. 5.*

21 In primis didici ex [b] Nicephoro Gregora Sacellum Imperatoris ijs viris interdum floruisse, qui idonei haberentur ad Imperij curas subeundas; & Imperatorum amicos, quos privatos Hispanè dicimus, adiuvandos: sic res se habuit. Olim Constantinopoli vir quidam litteris insigniter clarus, alijsque dotibus ornatus, Becus nomine, Patriarcha fuit creatus à Michaele Paleologo; propterea quòd is licet

*b Nicephor. Gregor. lib. 5. histor. Bizant. c. 6.*

pro.

pro ea quâ pollebat facundiâ, & doctrinâ concordiam novæ & veteris Romæ initiò interturbaret (quam optabat Imperator) deinde ex adversario fautor effectus, mirum quantum rē provexit. Non modò Becus summā Ecclesiæ Græcæ dignitatem Imperatoris beneficio est adeptus; verùm eiusdem amicitiam meruit, ascitus in Imperij consortium brevi amicus fuit Michaelis, & familiaris. Quemadmodū verò amicus dicitur à Xenophōte [a] esse alteri amico vice manuum, oculorum, aurium; ita planè Becus, ut à Nicephoro describitur, hæc eadem officia Imperatori præstitit: *Quamobrem*, ait Historicus [b] iste, *Patriarcha* (Becus) *sede consecensa Imperatori unus fuit omnia; & lingua, & manus, & acuti scriptoris calamus, & dicendo, & scribendo, & dogmata statuendo.* Cùm verò non modò Reges peculiaribus adiutoribus indigeant; sed ipsi etiam Regum amici alios necesse est habeant amicos, & Regiæ amicitiæ consortes, qui scilicet curarū molē & negotiorum sarcinam ex parte allevent sintq; etiamvice manuū, oculorū, auriū, & pedum; Becus ipse Imperatori ab intimis consilijs, Imperijq; consors in curarū partem duos, tresvè selegit è Clero Imperatorio. Sic refert Nicephorus, ubi descripserat, quâ mole negotiorū Becus premeretur, ne eâ victus succūberet: *Eius certaminis*, inquit, *adiutoribus Meliteniote, & Metachite Imperatorij*

*Cleri*

a *Xenoph. lib. 2. memorab.*

b *Nicephor. loc. cit.*

*Cleri Archidiaconis & Georgio Cyprio.* Qui postremus fuit etiam Aulicus Sacerdos,& Beco successit in ea sede. Sed ista posterius. At priores duos fidissimos Becus est expertus in ærumnis. Cùm enim mortuo Michaële Andronicus Imperium tenuisset, tum Imperatoris gratiâ excidit,cùm etiã è sua sede est eiectus. In exilium demũ ab inimicis actus socios ærumnarũ in ea calamitate habuit Meliteniotem,& Metochitem Sacellanos Aulicos;quos,cùm Imperatoris amicitiâ floreret, habuit adiutores. Cùm fortunâ non sunt mutati.

22 In vita [a] Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani aliud observavi, unde elicere Sacellanos Palatinos in Aula Bizantina polluisse interdum gratiâ Græci Imperatoris,eisque suos Principes familiariter esse usos. Benè norunt in Ecclesiastica historia versati, quos labores exantlaverit Ignatius vir sanctissimus Imperatorum filius & nepos;& quas eidẽ insidias struxerit,& technas paraverit Photius ambitionis stimulis adactus, qui occasionem dedit octavæ Synodo œcumenicæ. Cuius decreto Ignatius Bizantinæ sedi tanquam postliminio est reditus, Photius verò cum ignominia expulsus. Sed in exilio agentis nõ quievit ambitiosus animus. Lapidem omnem movit, ut iterum in Aulam rediret, seque in gratiam, & amicitiam Basilij Imperatoris, hominis cre-

[a] *Nicet. Paphlag. in vita eiusd. extat tom. 3. Conci. par. 2.*

duli, & facilis insinuaret, omnes vias tentasse præsertim excitando in viris primarijs sui miserationem declarant nobis ipsiusmet epistolæ erutæ ex Bibliotheca Laurentina operâ Don Francisci Bravi adolescentis supra ætatem eruditi: illas mihi contigit legere eiusdem beneficio; & iam lucem aspexissent, nisi adolescentem de re litteraria optime meretem mors immatura in Belgio rapuisset. Sed Photio ubi omnia parum prospere cessetunt, tandem est assecutus quod optabat, ope & consilio Theophanis Clerici Palatini, quem Basilius vehementer diligebat. Hac verò illustri Sycophantia Photius Imperatorem fascinavit. Historiam quandam de maioribus Basilij conscripsit, fictitiam illam quidē, in qua docebat Basilium posse, si vellet, suum genus repetere abs Tyridate illo magno Armeniæ Rege: ijsque impostutis consarcinavit, quas produnt Constantinus [a] Manasses, & ex eo Baronius, præter alia quæ habet Nicetas. Siquidem librum ipsum, in quo hæc mendacia concenturiavit litteris Ægyptijs pro virili imitatus exarat; thecâ, seu tegumento vestit detracto ex codice vetustissimo; demum in Palatina Basilij Bibliotheca deponendum curat: *Administer*, ait Nicetas loco antedicto, *& fidus in hac scena, & fabula Theophanes erat Palatinus eâ tempestate Clericus; magnaque apud Imperatorem propter eruditionis existima-*

[a] *Constant. Manass. ap. Baron. anno* 878.

*stimationem auctoritatis*, *ac postea in improba operæ præmium Episcopus Cæsareæ Cappadociæ creatus.* Theophanes enim commentitium Photij libellum opportuno tempore è Bibliotheca extraxit, & Imperatori veluti cæteris omnibus admirabiliorem, & ob arcana reconditiorem exhibuit: Simulatque neque se, neque mortalium quemque præter unum Photium, eius mysteria assequi posse. Ergo extemplò ad Photium mittitur: prætexit ille, nulli posse arcana in libro comprehensa, nisi soli Imperatori cōmitti. Quid igitur? capitur Imperatoris facilitas hac fabula, & cùm Photio in gratiam redit: *Solent enim fausta, quamvis vanissimæ prædicationes excelsam, & gloriæ appetentiorem indolem eludere, penitusq; in suam potestatem redigere.* Hæc inter Basilium & Photium origo familiaritatis. Hinc enata nova turbarum seges. sed non hæc retuli, ut ostenderem benè Theophanem fecisse, licet nonnullus eius facto excusationis locus videatur relictus, sed ut solùm comprobarem quo in pretio apud Imperatorem extitisset.

23 Ad dignitatem etiam Imperatorij Cleri pertinuisse credo locum ipsum, quē Constātinopolitanæ Aulæ Sacellani ad habitandū habuere. In ipsomet Palatio Imperatoris domus hospitales illis patuerunt. Verùm mos iste hāc habuit originē. Habitabat primùm in ædibus

quisque suis, & tertiâ noctis vigiliâ ad eburneã Palatij portam convenire in more habebant: per eam verò in ædem Palatinã intromissi vota Deo matutina nuncupabant; cùm verò accidisset, ut ijs permisti percussores Leonem Armenium intetemerint; ex eo tempore, eaque de causa fuit constitutum, ut in Aula ipsa habitarent; & planè non procul à cubiculo Imperatorio. Priora omnia apertè docet [a] Cedrenus; postremum hoc ex Zonara colligimus. cuius verba malè Vvolphius intellexit, ut notat Auctor [b] Glossarij Græco-barbari, & in Latina versione insigniter est lapsus dum Clericos Aulicos, quòd circa cubiculum Imperatoris habitarent, deceptus vi Græci vocabuli cubicularios vocavit: perperam. hoc enim munere non sunt functi; in Aula tantùm habitarunt, licèt proximi cubiculo Imperatoris.

[a] *Cedren. & Zonaras in Leon. Armenio.*

[b] *Ioã. Meursius in Gloss. Greco-barb.* verb. Κλῆρος.

Sed, quod obiter sit dictum, percussores illi Leonẽ intetemere ab ipsomet Imperatore quasi sublato signo. Cùm enim benè cãtare, & prçclarum se esse musicum arbitraretur; adeòq; esset solitus hymnum aliquẽ auspicari; convenerat inter sicarios, ut cùm primùm Leo canere incœpisset facto globo ad percussionẽ irruerẽt; At vix incœperat hymnũ, cuius initiũ erat: *Regis supremi cuncta desiderio*; cùm ex angulo, in quo latebãt, cõiurati irrupere. Sed quid accidit? feruntur primo impetu in Phonascum, seu Cleri

ma-

magiſtrũ; qui Imperatori proximus aſtabat, & cui ſimilis erat tũ facie & ſtaturâ, cùm etiã capitis tegumẽto (*Propter ingẽs frigus*, ait [a] Cedrenus, *omnes caput operiebant*) At territus magiſter repentinâ vi caput detegit, & ex calvitio diverſus ab Imperatore dignoſcitur: unde ad hunc ſicarij converſi, quamvis in Sacrarium confugeret, & arreptâ cruce ſe defenderet, repetitis ictibus interemerunt. fruſtra ad Crucis auxiliũ confugit hoſtis acerrimus imaginum ſacrarũ.

[a] Cedrenus pag. 407.

In Imperio Occidentis Capellanos habitaſſe etiã in Aula argumento eſt Canon 38. Concilij Francofordienſis. In calce capitis ſecundi verba ipſa dedimus, licèt aliâ occaſione. Eundem morem adumbrat hiſtoria Sacellani Aulici Antiſtitis deſignati; qui profecturus ad ſuã diœceſim in Palatio Imperatorio equum conſcendit. quæ hiſtoria ſuum etiam locum habet.

24 Indumẽta Clericorũ eiuſdẽ Aulę deſignat Codinus [b] ijs verbis: *Poſteà ingrediuntur etiã Cantores cũ ſuis epirriptarijs & camiſijs.* Quod verbũ Iunius [c] malè vertit, *induſium.* Nã hoc ſignificat apud Latinos intimã tunicam, & carni proximam. Cùm tamen Codinus nomine Græcobarbaro, *Camiſia*, velit denotare veſtes lineas, quas vulgò ſuperpelliceas vocamus, cæteris veſtibus ſuperimponi ſolitas, ut patet ex eodẽ.

[b] *Georg. Codin. de offic. magn. Eccl. & Aulæ, c. 7. num. 27.*

[c] *Greſ. in eũdem lib. 1. comm. c. 14. num. 3.*

Ita perſtringit Iunium Gretſerus: quem tamen poterat apertiùs convincere ex alio loco

eiuſdem [a] Codini, in quo deſcribit feſtũ Natalis Dominici. quo ſcilicet ritu celebraretur in Aula Græci Imperatoris? ſubdit enim poſt nonnulla: *Et Sacerdotes quidem ſtant prope ſanctas imagines cum ſacerdotalibus ſuis ſtolis, & Lectores ſtant in medio Tricliniȷ̃ è conſpectu Imperatoris, cum ſuis tunicis, & his quæ illis ſuperiniȷci ſolent* (epirrhiptaria denotãtur ex vi Græci vocabuli. nã ἀπὸ τοῦ ἐπιῤῥίπτειν dicta ſunt quòd ſuperinijcere, vel ſuperinſternere ſignificat) *ferentes quoque camiſia ſuper veſtes* (quid clarius dici poteſt) *Protopſaltes quidem, & Domeſticus candida. Lampadarius autem tenens auream duplicem ampullam, Magiſter & omnes Cãtores purpurea.* Apertè denotantur camiſia, & epirrhiptaria cæteris veſtibus ſuperinijci ſolere. Atque ex eodem loco, ijſdemque verbis deprehendimus colorem eorundem indumentorum. Nam Protopſaltes & Domeſticus candidis camiſijs, id eſt, ſuperpelliceis utebantur; Lampadarius verò, Magiſter & Cantores eidem ſubditi purpurea induebant.

25 Demùm ut diſcedã ab Aula Bizãtina ſubijcio quod annotavi in hiſtoria [b] Cãtacuzeni. Magnus Domeſticus, qui apud nos eſſet ſummus Aulæ Præfectus, licèt ibi eſſet etiam Dux peditum, Sacellanos Aulicos allegebat. Auctor enim eius hiſtoriæ refert à Magno Domeſtico (& hic fuit Scriptor) cooptatum fuiſſe in

[a] *Codin. cap. 6. n. 3. & 4.*

[b] *Cantacuz, lib. 2. cap. 21*

Cle-

Clerum Imperatoris Ioannem quendám, quē sibi antea voluerat, ut esset à sacris.

26 Hoc caput consignabo commemoratione illustrium Virorum, & dignitate antecedentiū, qui loco magni muneris in Regios Sacellanos sunt allecti: mitto vetustissima, quæ initiò adduximus, cùm scilicet asseruimus Regia stirpe genitos, Regumque cognatos Sacello Regio nomen dedisse. Exēplum etiam suppeteret eiusdem ævi, quo probaremus inter Capellanos cooptatum Abbatem non postremi nominis, & Regio beneficio ob operam egregiè navatam Regi Gallorum. Sic [a] scribunt Vvulradum, seu Foraldum propter detectam Pipini coniurationem Abbatem primò factū, deinde Capellanū, tum summū Capellanū, licèt qui hoc tradunt in tēpore dissētiant.

27 Vt ut res habuerit; recentiora suppetunt, & magis honorifica. Episcopos, & Archiepiscopos cōperio Regū Sacellis adscriptos. Magistri [b] Capellæ Regiæ Regū Neapolitanorū (erat officiū distinctū à munere Protocapellani) fuere Episcopus Marsicanus anno 1342. & Vbertus Pactensis, & Liparēsis Episcopus anno 1392. In eadem Aula, & processu tēporis Ladislaus [c] Rex inter meros Capellanos asciuit Episcopū Troianū; & Robertus Rex sapiētissimus, cui litteræ Regno fuere dulciores multò anteà Archiepiscopū Pisanū Odonē de Sala.

[a] Buleng. de offic. Regn. Gall. Aymo. seu Adelm. lib. 5. de gest. Franc. Sigo. lib. 3. de Reg. Ital. an. 794. Scafnaburg. in Chron. anno. 792.

[b] Petrus Vincen. in M.S. de Eccles. Sicil ex regisstr. ann. 1342 & 1392.

[c] Ex registr. anni 1407. & an. 1313. 1314.

28 Non est silentio involvendus Paulus Diaconus Vvarnafridus, qui primùm Cancellarius Desiderij Lõgobardorum Regis, deinde hoc debellato fuit Carolo M. à sacris domesticis. Reprehenditur quidem à nonnullis, quòd præclara, & prolixa Pompeij Festi volumina viginti de verborũ significatione in cõpendiũ redegerit, quod vænale circumfertur. Vnde ab ijsdẽ miserè vapulat; qui Paulum deserunt, tanquã pessimè meritũ de re litteraria, licenter loquitur de tãto viro Auctor [a] Annaliũ Boiorũ; quem Breviatũ antedictum fecisse autumat actũ malo genio. Licentius alter eiusdẽ farinæ homo [b] Paulũ confidẽtissimũ appellat, & ineptissimũ, alijsq; contumelijs onerat. Hoc unum excipit, quòd Festus ipse, qui Verrij Flacci libros breviavit æquo animo debet ferre, si quo modo ipse Verrium tractavit, similiter à Paulo Diacono fuit acceptus. Sed hoc iterum deplorat (& maledicè ut solet) si Festo hoc modò pereundũ fuit, digniorem arbore, ut est in proverbio, deligendã fuisse, quæ & similia cõgerit suo more canino adlatrandi optimum quemquam. Verùm quis scit an prolixa Festi cõmentaria intercidissent, ut præclara quæque illustrium ingeniorum monumenta, nisi noster Paulus ea redegisset in breve cõpendium, quod faciliùs exscribi, & spargi potuit per plures, atque plures Bibliothecas: eo

[a] *Avent. lib. 4. Annal. Boior.*

[b] *Ioseph. Scal. præfat. in Festum.*

præsertim tẽpore, quo Ars Typographica nõdum erat inventa. Sed Paulũ non omnino omni culpâ liberemus ob hoc factũ, at quis neget quin laudes alias non uno nomine mereatur, quæ multũ præponderent? Primò quòd Historiam miscellam nuncupatã continuarit ad sua usq; tempora ab eo, in quo Eutropius desierat. Deinde quòd multas Sanctorũ vitas cõscripserit; necnõ cantiones, Hymnósq; sacros (ut alia præteream) illum in primis tam pium, quàm vulgatum D. Ioanni Baptistæ sacrum: *Vt queãt laxis resonare fibris*. Tertiò, quòd ad preces horarias recitandas unicuique diei totius anni aptas & congruentes sacras lectiones accommodavit: quam dispositionem paucis pro tempore immutatis ad hæc nostra usque tempora Ecclesia Catholica retinuit, quod effecit iussu Caroli, ut eiusdem Imperatoris epistola præfixa Homiliario Alcuini contestatur. Nam ubi Paulum nostrum Clientem, & familiarem appellavit munus antedictum eidem iniunxisse aperte dixit in hæc verba: *Idq; opus Paulo Diacono familiari, & Clientulo nostro elimandum iniunximus*. Apud hunc Principem verè Magnum [a] Paulus in gratia diu vixit, donec ingliscente invidiâ (quæ in Aulis regnat partita imperium cum fraude) aliò est ablegatus. Quambrem quis neget de re Ecclesiastica multum promeruisse, & dignum

[a] *De Paulo Diac. Chro. Caß. lib. 1. c. 17. Pet. Diacon. de viri. Caß. cap. 24. de scrip. eiusdem cap. 8. Trith. de vir. illust. ord. S. Bened. lib. 2. c. 10. Vvion. in ligno vitæ lib. 3. c. 112.*

pro-

propterea, qui inter primos nostrę professionis viros cēseatur; & cuius nomen quotidianâ memoriâ usurpetur ob quotidianum de Ecclesiastica prece beneficium?

29 Sed sit instar omnium Franciscus Petrarcha musarum Italicarum pater, Poëtarum Coriphæus; licèt in eo hoc, quod videtur vulgò maximum, fuerit minimum. Lusit ille quidem elegantissimè versibus & numeris Italicis amores suos erga Lauram sive veros, sive fictos ex sententia [a] Bellarmini, ut haberet materiē exercendæ musæ. Sed ubi ad seria animum cōvertit, & tempus malè locatum in cantiunculis deflevit; gravia & utilia opera conscripsit, adeò ut vir Ecclesiasticus Archidiaconus Parmensis, & Canonicus Patavinus inter Ecclesiasticos Scriptores meruerit censeri. Qui sanè in quo disciplinarum genere non fuit instructus, quos processus in omni philologiæ parte non effecit? Expressa reliquit sui ingenij monumenta duobus Tomis comprehensa. In remedijs utrique fortunæ dandis se ipso maior vicit se ipsum. Quod more maiorū laureâ insignitus Romæ triumpharit; quod Latina lingua illi debeat suum pristinum nitorem (certè pro virili parte primus illam expolivit) ut minutiora omittimus. Vir igitur tot tantisque titulis illustris in Aula Parthenopæa beneficio Ioannæ [b] primæ Neapolitanorum Reginæ,

*a Bellar. de script. Ecclesiast.*

*b Sammōtius lib. 3. histor. Neapol. & Pet. Vincēt. in M. S. de Ecclesi. Reg. Sicil. ex registr. anno 1343. 1344.*

Ca-

Capellanorum numerum,nomen & decus adauxit. Id contigit anno 1344. ætatis suæ 40: ob'jt enim piè sanctèque in solitudine septuagenarius anno 1374.

30 Quid quòd hunc gradum & dignitatem domus Regiæ illi etiam non respuerunt,qui in Aula Pontificia alijs Ecclesiasticis nominibus censebantur? Sic [a] Carolus Andegavẽsis Primus Rex Neapolitanorum dum Romæ degit quamplures è Pontificio famulitio Sacellanos domus Regiæ creavit: in primis Raimundum Rufum, Andream Spillato, Petrum Thianensem, Gulielmum de Securoto; & ut claudat agmen, Benedictum Caietanum, qui posteà Romanum Pontificatum est adeptus,& Bonifacius Octavus est vocatus. Hos omnes Clericos suos,& Consiliarios appellat Carolus anno 1275. ut observatur ex tabularijs eorundẽ Regum.

a Idem ex registro Caroli I. ann. 1275.

31 Eiusdem [b] Aulæ Sacellanis iuris sigilli immunitas est concessa beneficio Roberti Regis,ne quid scilicet solverent pro quibuslibet Regijs litteris & codicillis.

b Idem ex regist. Robert. ann. 1338. 1339.

32 Quamvis verò hæc nostra dissertatio potissimùm pertineat ad Capellanos Regum, & magnorum Principum,pauca tamen subijciam de Capellanis Aulæ Põtificiæ;cùm præsertim mihi videat nequaquam digredi ab instituto;& ipsum Pontificem Romanum possimus

mus absq; dubio recensere inter Principes potẽtissimos, tametsi à suprema illa, & absoluta in re spiritali potestate seiũgamus politicũ, & profanum dominatũ; quẽ obtinet amplissimum & florẽtissimũ. Itaq; in Vrbe æterna, & rerũ domina Capellani summi Præsulis diversi generis, & privilegij recẽsentur. Alij nãq; sunt eiusdẽ Hierarchæ domestici, familiares (cõmẽsales dicũt) alij honoris huius titulo tantũmodo donati, alij cũ stipendijs, alij sine illis: quæ divisio eodẽ recidit. Sed antiquitus Romani Pontificis Capellani erant Iurisperiti quidã, qui ipsi summo rei Christianæ moderatori toties præstò erant, imò adiuvabãt, quoties rẽ divinã in Capella faciebat. In qua etiã audiebat tunc temporis caussas, & controversias è diversis Christiani Orbis partibus ad Romanam sedẽ & Curiã delatas. Sepono negotia fidei, & quæ seorsum à sacro Senatu nolebat diiudicare ex re, & consessu dicta deinde Cõsistoralia. Dũ igitur causæ agitabãtur, adhibebat iuris illos peritissimos, quorũ operâ usus etiã fuerat, dũ sacris operaretur. Sed cũ Põtifices gravioribus curis distẽti ab eo munere, seu cognitione paulatim se avocassẽt relatione cõtroversiarũ eius generis suis Capellanis iuris etiã, ut diximus, cõsultis permisere. Vt quã primũ isti referrẽt ipsi iudicarẽt. unde est factũ, ut qui prius Capellani Papæ dicebãtur, processu temporis Auditores sacri Palatij ex munere

Ioann. Gall. quæst. 31.

audiendi controversias dicerentur. Quibus deinde summi Pontifices earũdem causarum cognitionem quoque suis codicillis concessere. Imò asserunt [a] fuisse subinde ex more usurpatum, ut ijsdem uniuscuiusque litis, & controversiæ cognitio peculiari rescripto demãdaretur. Hodie hunc ordinem constituunt duodecim viri (ex restrictione Sixti IV. ante quem plures) Iurisprudẽtium consultissimi, qui æqui bonique Magistri, æquitatis Antistites quicquid cẽsuerint pro Senatusconsulto, quicquid decreverint tanquam è tripode, & cortina accipi solet. Sed licèt his temporibus duodecim illi viri tam Legum & Canonum, quàm Iustitiæ Consulti manu purâ, putâ conscientiâ involuta litium volumina evolvant, inextricabiles negotiorum laberynthos extricent, non tamẽ cessant fungi suo pristino munere adiuvãdi summum Præsulem, cùm in publico Sacello sacris operatur Pontificali apparatu. At de ijsdem plura [b] Vestrius, Gomesius, Tholosanus, Boerius: qui ultimus addit, Capellanos qui honoris causa huiusmodi titulo ornantur, verè tales non censeri, licèt dicantur: dat caussam ex iure Cæsareo [c] Tholosanus, quia nimirũ Princeps aliquibus honorẽ solùm cõmunicat non autem utilitatem, aliquibus utrumque. [d] Iustinianus hoc lege lata decrevit, quam Glossographus accommodat ipsismet

a Octav. Vestr. lib. 2. introd. in acta Aulæ Rom. cap. 17.

b Octav. Vestr. loc. citat. Gom in procem. reg. Cancell. Thol. in lib. 15. Syntagm. c. 24. & 42. Boer. q. 17. n. 9.

c Tholos. loco citato.

d Auth. col. 5. tit. 25. c. 1.

Capellanis domini Papæ, ut sunt eiusdem verba. Innuere scilicet voluit distinctionẽ quam dedimus suprà, & quam hodie audimus observari in Aula Pontificia Romana.

33 Quanti verò fecerint Pontifices Romani dignitatem Capellanorum suæ Aulæ, sit argumẽto, quòd eo honore viros lectissimos exornaverint; quòd eosdẽ arduis negotijs præfecerint: Gregorius IX. antequã decretaliũ cõpilationem iniungeret Raymundo Pegnafortio divini & humani iuris scientissimo prius eũdẽ honestarat dignitate Põtificij Capellani, & Pœnitentiarij [a]; anno Christiano 1234. eodẽ honore ornatus fuit ab Innocentio IV. alter eiusdẽ Ordinis vir illustris, Ioãnes, inquã, V vuldehusenius Saxo ex Episcopo Bosnẽsi Præfectus Ordinis Dominicani Capellanus, & Pœnitẽtiarius eiusdẽ Sũmi [b] Præsulis. Qui Ioannes anno 1249. ad extirpandã hæresim Circũcellionum maximos labores exantlavit.

Præterea cõperio, Capellanos Aulæ Pontificiæ ijsdẽ temporibus negotia alia, & quidem gravissima confecisse [c] legationibus obeundis, hoc est functos esse munere Internunciorum. Planè cùm Alphonsus Comes Pictaviẽsis, Regis Galliæ patruus, Comitatum Venaissinum Ecclesiæ Romanæ abstulisset nullo bono iure innixus, ac moriens Philippo Regi ex fratre nepoti testamẽto reliquisset; Gregorius X. ad

[a] Bzovius anno 1234. num. 15.

[b] Idem anno 1249. n. 6.

[c] Ex epist. 13. Greg. X. Lugd. 1. Kal. Decembr. Bzovius anno 1273. nu. 9.

X. ad Ecclesiæ iura asserenda misit Gulielmũ Matisconensem Apostolicũ Capellanũ, & cau sarũ sacri Palatij Auditorẽ generalem. Qui nõ modò hoc negotiũ confecit è sententia Pontificis, & dignitate sedis Apostolicæ, sed etiam à Philippo Rege antedicto auxilia impetravit ad terram Sanctam è servitute asserendam.

34 Capellanorum etiã operâ usus est in rebus arduis Nicolaus III. Nam cùm Ravenna & finitimę civitates Pontificio dominatui subesse recusarẽt, eo allegavit Gulielmũ Durãtẽ (orbi satis notũ suâ Ecclesiasticâ eruditionẽ) Canonicum Narbonẽsem, & Põtifici à sacris. Anteà verò miserat Giffredũ de Anagnia Ecclesiæ sancti Eudomari Decanũ, & Põtificiũ Sacellanũ. Vterq; quàm impigrè se gesserit, & fuerit tutatus iura atq; dignitatẽ Ecclesiæ Romanæ refert [a] Rubeus in historia Ravennati, à quo alius scriptor est mutuatus quicquid de ea re dixit. Idẽ Pontifex Guidonẽ Novavillanũ Canonicũ Nicosiensẽ, & Capellanũ Apostolicũ itẽ misit ad Carolũ Siciliæ Regẽ à quo impetraret auxiliũ ad Bononiensiũ intestinas discordias sedãdas. Quę sedis Apostolicę negotia quã benè gererent Capellani [b] Põtificij nũquã obliti dignitatẽ sacrosãctę sedis, neq; veriti offesionẽ Principũ, quibus cũ agere oportuerat; absq; dubio declarãt carcer, & vincula Almerici Montfortij Capellani Apostolici, in quæ con-

*a Rubeus in hist. Raven. lib. 6. Bzov. anno 1278. n. 15. idem ex epist. 13. Nicol. III. Romæ vi. Non. Martij anno 1280. n. 1.*

*b Idem ex Nicol. epist. 13. Kalend. Martij 1280. num. 3.*

coniectus fuit ab Edovardo Angliæ Rege. Quam iniuriam sui Capellani non passus Nicolaus III. vindex libertatis Ecclesiasticæ Regi seriò præcepit, ut Almericum è vestigio carcere liberaret: iussitque Archiepiscopo Cantuariensi, & suffraganeis, ut ad hoc Regem, si negligeret Apostolica mandata, compellerent anathemate proposito.

## NOTÆ.

Pro Capella Aulæ Hispanæ.

35 D*Escribitur Sacellum Aulæ Hispanæ.* 36. *Principalis apparatus cùm Rex Catholicus sacris operatur.* 37. *Collegium Palatinum quibus viris constet?* 38. *Distinctio Capellanorum eius Aulæ.* 39. *Quo sensu Honorarij?* 40. *Capellani Regum quo loco censendi lege Pontificia.* 41. *Privilegium Capellæ Regis Burgundiæ* (c. cùm Capella de privilegijs) *ad locum, an ad personas pertineat?* 42. *Quæ Regũ Capellæ Diœcesano Antistiti non subijciantur?* 43. *Huiusmodi exemptio quàm vetusta?* 44. *Quibus Concilijs probetur.* 45. *Capellæ Regum, & privatorum in quo differant?* 46. *Reges Catholici quanti faciat*

*ciat Aulæ Hispanæ Sacerdotes. 47. Laus Ecclesiæ Toletanæ. 48. Capellæ Hispanæ emolumenta, & prærogativæ.*

35 PRiusquàm exequar hanc partem Regij Sacelli descriptionem hîc initiò subijciã. Publicũ Sacellum sitũ est in Aulæ Hispanæ umbilico: imminet Regijs scalis, & cõprehensum est inter superiores deambulationes, unde est prospectus in utrũq; peristylium. Hîc Rex sacris publicè operatur. Facies interior hæc est. Sacellum quà Septẽtrionem spectat Aram habet, supra quam tabula visitur, in qua sunt depictæ octo Beatitates; sed in inferiori parte cũ figura Agni Paschalis. Superior augustiore formâ exprimit effigiem Servatoris (cui Sacellum ipsum est dicatum) conspicui in primis Pedo, & Regno Põtificio. Ad dexterã Virgo sanctissima, ad lævã Iacobus Apostolus Hispaniæ Patronus est depictus. Hinc inde subsequuntur Chori Angelorum modis musicis decantantium. Demum claudunt utrumque latus primi parentes Adamus & Eva in habitu innocentiæ. Delineata in parte fuit è Sacello Bruxellensi. Quà verò Sacellum porrigitur versus Meridiem in imo solo cancelli insunt lignei: in ijs fœminæ Regiæ (Rex ipse interdum, & proles Regia) divinis mysterijs intersunt. Paulò supra quàm visitur

Odæum locus est Puellis Ginæcei destinatus. Sacellum universum Arcus medium secat; parietes opere albario obducti, hiemis tantum tempore aulaeis vestiuntur.

36 Cùm Rex sacris operatur, principali apparatu hæc est Sacelli facies. Prope aram, & iuxta cornu Evangelij eriguntur Regiæ cortinæ, ad quas per nullos gradus est ascensus, sed contingunt imum pavimentum. Sub ijs Rex moratur, & considet in sella. Proximus sequitur Præfectús Regijs cortinis deducendis, & reducendis, qui semper adstat. Primus Magister, seu Maiordomus Regiæ iuxtà sedet in sella humiliori, quam vocamus Hispanicè *Silla rasa*. Subsequuntur cæteri, qui adsunt Hispaniæ Magnates capite operto, & asidentes in prelongo scamno, quod tantùm vestit nō inelegans tapetum. Astant è regione cortinæ Regiæ, & prope alterum aræ cornu cæteri Maiores domus Regiæ, suis baculis innixi, sed capitibus nudi. Hos excipiunt, sed sedentes in suo scamno, quod est vestitum serico villoso, & operti capita Legati Principum hoc ordine: Pontificius, Cæsareus, Gallus, Venetus. Cæteris Legatis ius sedendi coram Rege non est datum; unde in Sacello Regio non solent adesse. Legatis Principum sunt proximi Aulæ Capellani in suo etiam scamno soliti asidere (vulgò dicuntur *de Honor*, & è re & sessione *de*

 *Banco*)

*Banco*) superinduti supparo lineo, & tecti capita tegumento illo nigro, & quadrato, quod birrettum appellatur: inter quos, ut etiam inter Magnates, nulla in sessione habetur ratio antiquitatis; modò Receptor & Iuridicus præcesserint, quem quisque invenerit locum, eum occupat in sedendo. Capellanis etiam cum Concionatoribus Regijs ita convenit, ut sibi præferri patiantur ex Capellanis, unum saltem præter Receptorem & Iuridicum; qui deinde venerint, alternatim sedeant, adeò ut Capellani, & Concionatores sibi mutuò succedant. Idem ordo in publicis supplicationibus est servandus. Quoties in Sacello concio habetur portatile suggestum erigitur inter Legatos Principum & Capellanos, adeò ut Cõcionator Regem alloquatur. Summus Capellanus, & si quis Antistes fortè adest, sedent proximi altari, & in cornu Evangelij, capitibus opertis. Cùm verò cõtingit adesse in Sacello sanctæ Romanæ Ecclesiæ purpuratum aliquem Patrem penè æquatur in sessione cum ipsomet Rege, è cuius conspectu sedere solet, & habere præter sellam, Regiæ haud multùm absimilem, pulvinar substrato pedibus tapete.

37 Sacelli verò Collegiũ his viris sacratis constat. Præest cũ summa potestate Sacellarius maior, qui maior itẽ est Eleemon. Huic subsũt

Præfecti Regijs cortinijs( magnum Æditum non recenseo, nam hæc dignitas Aulica olim in pretio, hodie omnino esse desijt ) Sacelli Receptor, Iuridicus, & omnes Capellani, vulgò *de Honor*, qui ex omni regio dominatu alleguntur. Ex quo enim nec minor, nec deterior Italiæ pars Hispano Imperio accessit præter Castellanos, Aragonios, Valentinos, Catalaunos, adnumerantur etiam Siculi, Neapolitani, Mediolanenses. Præterea ex Hispanis Sacello Regio dant nomen Sacerdotes nonnulli ordinum Militarium: neque subditi alieno Principi à Sacello excluduntur, si hoc Regium beneficium promeruerint. In primis etiã sacræ huius sodalitatis Palatinæ pars censentur Regij Concionatores, qui sedẽdi ius habent in scãno Capellanorum. Atque omnium ferè Religiosorum ordinum lumina agunt in Sacello Aulæ Hispanæ Christianos verè, & egregios Oratores. Demum Capellani, quos Cantores dicimus & altaris, Musici omnes, & Symphoniaci subsunt maiori Capellano.

38 Hic etiã præmittere oportet distinctionẽ Capellanorũ, qui in Aula Hispana peragũt mysteria sacrata. Alij enim Capellani *de Honor*, seu *de Banco*, ut modò innui, vocãtur, de his est sermo præcipuus, qui in publico Sacello quoties Rex sacris operatur principali apparatu, locum obtinent dignitatis plenũ, ut descripsimus,

Hi tantummodo rẽ divinam faciunt in privatis Aulæ sacrarijs, ubi Rex vel Regina adsint, vel qui sunt de cognatione Regia. Alij verò Capellani *de Altar*, seu Cantores nuncupantur: qui elatâ voce, & in publico Sacello celebrant divina mysteria.

39 Qua in re oportet etiam adnotare Capellanos primi generis, quos *de Honor*, seu honorarios appellamus absimiles esse ijs, quos tales etiam appellant legum & [a] canonum periti. Eos enim verè non agnoscunt familiares Principum, seu Pontificum, quorũ Capellani perhibentur; cùm nullo stipendio donati, tales sint titulo tenus. At in Aula Regis Hispani, qui Capellani *de Honor*, seu honorarij dicuntur, verè Regis familiares & domestici habentur. Neque enim solum nomen inane dignitatis iactant, sed præterea sua stipendia percipiunt (de quibus suo loco sermo fusior redibit) & in Aula præcipuo loco recensentur. Nec silentio est involvendũ, Sacerdotes nõ paucos in Imperio Regis nostri Augustissimi verè dici, & haberi Capellanos Regios. hi scilicet vel sunt adscripti Collegijs quibusdã Ecclesiasticis, quæ in primarijs urbibus, & tẽplis Imperij Hispani sunt instituta ad defunctorũ Principũ noxas expiandas quotidianis & anniversarijs sacris; vel numerantur inter sacros Sodales cuiuspiã Regij Sacelli, quod adhuc extet in ijs urbibus, in

*a l. Ioã. Gall. q. 28. & 31. Capellania honoris quomodo probetur. Mascardo de probat. par. 1. concl. 264.*

in quibus Reges peculiares dominabantur, antequàm tot Regna in unum coalescerent. Sed utriusvis generis Sacellani inter Aulicos Sacerdotes, de quibus agimus, nō censentur. Neque enim si ad Aulam Hispanam accedant, cū eiusdem Sacellanis annumerantur, nisi fortè in illorum album fuissent anteà relati.

40 Sed ut ad rem nostram deveniamus, videndum est, quid sentiant de dignitate Capellæ Regiæ, & Capellanorum Doctores iuris Pontificij. Quâ etiam in re opus est distinctione. nam si Capella Regia, & Capellani nullo Pōtificum diplomate muniantur, Episcopi dioecesani iurisdictioni subduntur: & eam adducūt huius assertionis rationem. Nam cùm Reges ipsi, atque [a] Principes, in quorū Aulis faciunt, & quibus inserviunt, sint Episcopo itidem subiecti, potiori iure eorundem Capellani dioecesani Antistitis legem accipiēt: ita Abbas [b] Panormitanus.

41 Quæ desumi possunt ex rescripto Innocentij III. ad Regem Burgundiæ, cap. *cùm Capella, de privilegijs*. Ex qua doctrina sunt etiā qui colligunt, Capellanos Regum esse Clericos secundi ordinis, non minus quàm qui adscribuntur alijs [c] Ecclesiasticis Collegijs, sed inferioribus. Si verò Capellani Regū lege dioecesanâ exsolvantur, caret suâ firmitate superior sententia. nam eodem rescripto Innocētij III.

non

a *Cap. cù omnes Principes, de maior. & obed.*
b *Abbas Panorm. in cap. cùm Capella, de privileg. num. 2.*
c *Salgad. de Reg. protect. par. 2. cap. 9 ex Abb. cap. cùm nō licet 2. not. Fel. col. 1. de præscript.*

non improbatur ea consuetudo, seu privilegiũ, quæ Capellas & Capellanos Regum alij subijcit, quàm Episcopo Principi diœceseos. In quo sensu [a] Concilium Tridentinum addit album calculum. Capella verò Regis Hispani nec novâ consuetudine, neque uno [b] privilegio Pontificio Episcopi diœcesani iurisdictioni est exempta: adeòque præter summum Capellanum, & Legatos sedis Apostolicæ Antistitem alium non agnoscit, & ius dicenti non paret impunè.

Et licèt rescriptum antedictum [c] Innocentij III. seu privilegium Capellæ Regis Burgũdiæ interpretes iuris Canonici, Panormitanus noster in primis, & Ioannes Andreas angustè restringant; adeò ut velint eo tantummodo muniri locum, non personas. Hoc est eximi ab iurisdictione Antistitis diœcesani Capellanos Regios: *Qua in parte*, ait [d] Covarruvias, *ministerio Capellæ operam dederint*: adeòque in eo deliquerint: & ipse latiùs nõ extendat exemptionem Aulicorum Sacerdotum vi illius canonis Pontificij: quod etiam sentit provenire generatim ex vi & natura privilegij, nedum ex eo peculiari Pontificis rescripto; Capellani tamen Regis Hispani, dùm Aulæ ministerio addicũtur, sacris obeũdis & cõsueta stipendia emerẽt; non tam innituntur hoc communi indulto, quàm, ut suprà dixi, non uno peculiari privile-

a *Cõcil. Trident. sess. 24. cap. 11.*

b *Bullis Sixti IV. Innoc. VIII. Alex. VI. Iul. II. Clemẽt. VII. Paul. III. Greg. XIV. Pauli V.*

c *Cap. cùm Capella, de privileg. ubi Panor. n. 2. & Ioã. And. num. 5.*

d *Covar. cap. 11. pract. n. 5.*

 gio,

gio,& more vetustissimo. Quibus suffulti (maximè novissimis codicillis Pauli V.) subtrahũtur ab iurisdictione diœcesana;& non modò in ijs,quæ pertinent ad ipsum Capellę ministeriũ, verùmetiam in quacunque disceptatione agnoscunt litium disceptatorem , & criminũ cognitorem summum Aulæ Sacellanum,& iuridicum,cui ipse suas vices delegarit;præter Legatos sedis sacrosanctæ.

Sunt [a] etiam qui annotẽt nõ solùm locũ, sed etiam Capellanos censeri exemptos,si exẽptio Capellæ concedatur ; secus verò accidere si exemptio sit concessa Capellanis. Nam locus Capellæ neutiquam exemptus est censendus.

42 Pontifices Romani hac eâdem prærogativa exornarunt alias aliorum Regum Capellas & Capellanos. Aulici Sacerdotes Regũ Siculorum , & Neapolitanorum, [b] postquam hæc Regna in duo abiere , adversus Episcopi auctoritatẽ ijsdem privilegijs sunt muniti. Reges [c] Lusitani pro suis Sacellanis similes codicillos Pontificios impetrarunt. Sacerdotes etiam Palatini Regum Gallorum Abbatem S. Genovefæ habent suarum controversiarum iuridicum disceptatorem. Hic Antistes in Aula Gallica moderatur in re sacra,& litibus tollẽdis omnes Regis domesticos:quo nomine non modò comprehenduntur Sacellani,sed & Clerici Senatores Regis Consiliarij.

[a] Ex c. per exẽptionem de privileg. in 6. ubi Ioã. Andr. Anchar. Franc. & D.D. in c. cùm Capella cit. Fulv. Constant. ad lib. xj. Cod de Palat. & Dom. Domini, l. unica.

[b] Petr. Vincent. in M. S. de Eccles. Regalib. Regni Siciliæ.

[c] Cabed. de patronatu Reg. Coron.

43 Sed

143 Sed exemptionē Capellæ Regiæ Parisiē-sis antiquissimam fuisse ostendunt, quę scribit Gulielmus de Nangis in gestis Philippi Tertij. Nam ubi dixit Mariam Ducis Barbantiæ filiam apud Parisios fuisse coronatam, & in Sacello Regio ab Archiepiscopo Remensi: *Gillo*, subdit, *Senonensis Archiepiscopus coram Legato Romanæ Curiæ domino Simone sanctæ Cæciliæ Presbytero Capellano, qui præsens aderat, querimoniam detulit, dicens, quòd in præiudicium Ecclesiæ suæ fuerat Regina eodem loco à Remēsi Archiepiscopo coronata. Quia sicut legitur in quadam epistola Ivonis quondam Episcopi Carnotensis, ad Episcopum sedis Belgicæ, quæ est Rhemis, non pertinet extra provinciam suam inunctio Regum, vel etiam Reginarum. Sed ex parte Regis sic allegatum fuit, quòd non erat, unde posset conqueri Senonensis Archiepiscopus, quoniam Capella Regis Parisijs exempta erat, & idèo ratione loci ad ipsum inunctio non spectabat.*

144 Adhæc Capellanorum exemptio posset generatim confirmari ex Concilijs alibi laudatis, hoc est Moguntino, & Aquisgranensi, quæ adduximus in calce capitis secundi: cùm enim ea Concilia vellēt distinguere universum ordinem Ecclesiasticum, adeoque viris sacratis peculiares Antistites assignarent: è Clericis alios Episcopis, alios Abbatibus attribuêre; neutris tamen commiserunt curam Sacerdotū

Au-

Aulicorũ, non quòd essent Acephali, sed quòd summum Aulæ Capellanum suum Antistitem agnscerent.

45 Demum hoc loco dabimus differentiã inter Capellas Regum, & Privatorum. Nam quamvis omnibus liceret habere domi privata Sacella, si modò accedebat a Episcopi voluntas (aliud vult hodie summus Pontifex) imò beneficia b Ecclesiastica censerentur, si item Episcopi consensu essent cõstructa; in hoc tamen fuit à cæteris diversum Regium Sacellũ, quòd in eo potuerit proles Regia c ablui aquâ lustrali, quod in alijs nunquam licuit; nisi aliud suasisset necessitas.

46 Verùm, ut à legibus ad mores deveniamus, Aula Hispana præcipuo semper loco cẽsuit Sacellanos Aulicos. Atque quantùm ediscere potui sciscitãdo è quamplurimis, qui novere mores aliarum Aularum, nullũ hodie extat in Orbe Christiano Sacellum Regium, & Collegium Aulicorum Sacerdotum, quod tãti fiat à quolibet vel magno Principe, quanti Reges Catholici faciunt suos Sacellanos Palatinos. Quibus quantum deferant, potest quilibet cognoscere, ex sedendi loco, quem illis in Sacello publico designarunt. Sedẽt, ut diximus (præsente Rege, & sacris operãte sub Regijs cortinis) è Magnatum regione: & capita operiũt, licèt semper induti vestes lineas, quas vul-

a *Auth. ut nulli fabric. orat. domi collat. 5. Ioã. Fab. inst. de rer. divis. §. nullus, & §. religios. Alexand. in l. 1. D. de Relig. & sumpt. funer. c. missarum de consecrat. Suarez in 3. p. disput. 81. sectio. 3 § 2.*

b *Gloss. in Clem. si beneficiũ de decim.*

c *Text. in Clem. unica §. 1. de Bapt. & eius effect. quem ad hoc probandũ adducit Carol. de Grassal. lib. 1. de regal. Franc. iure ultimo.*

vulgò superpelliceas vocamus. Locus æque honorificus iisdem obtingit in publicis supplicationibus; quoties Rex adest (nam si abesset, neque ipsi adessent) Capellani medij incedunt inter Regios Senatores. Arias Montanus Hispaniæ decus hoc potissimùm honore à Philippo II. Regum sapientissimo fuit affectus, ut Sacerdos Aulicus inter Capellanos cēseretur.

47 Hodie in Orbe Christiano omniū Ecclesiarum illustrissima post Romanā Toletana habetur, de qua grave in primis protulit iudicium Pius [a] V. nimirum defectu sedis Romanę Pontifices Petri successores in Toletanā sacra trāslaturos. De qua etiam magnificè senserat Leo X. ab orthodoxa religione non minus deberi Toletanæ Ecclesiæ, quàm Romanæ. Huius Templi Sodales fuere Vitalianus Papa, & Constās Imperator: in quo etiam Castellæ Reges solemnibus quibusdam anni festis præsentes adfore promiserunt: quod quoties non præstant, toties mulctâ mulctantur. In eiusdem Ecclesiæ splendorem (ut taceam alia, & innumera [b] illius encomia) statuerunt olim universi Hispaniæ [c] Antistites, ut singulis quibusque mensibus Episcopi in Orbem illic adessent. In hoc igitur augustissimo & splendidissimo Templo Canonicorum Collegium (verè Seminarium virorum omni dignitatis genere antecedentium) Capellanos Regios, si con-tin-

a Pius V. & Leo X. in Bullis ex Arch. Eccl. Tolet.

b Sepulved. in hist. Card. Alborn. Alvar. Gomez de Arebiepiscop. Tolet.

c Concil. Tolet. 7. cap. 7.

tingat illuc Regem ſequi, inter ſuos ſodales ſedendi locum abſque controverſia attribuit. Id præcipuè evenit Philippo II. vivente, qui ſuorum Capellanorum ad miraculum fautor non paſſus eſt in eodem Templo, & ſe præſente Miſſæ privatæ ſacrum ab alio celebrari, quàm ab Aulico Sacellano: licèt deinde fuerit invẽtus in Canonicorum Collegio, qui Canonicus eſſet, & ſimul Capellanus Regius: unde ipſe fecit præſente Rege. Imò interrogatus Rex idem Prudentiſsimus, quem locum tribui vellet in eo Templo Capellanis? reſpõdit, ſemper eos æſtimaſſe tanquam in dignitate conſtitutos. Reſpondit Rex ſapientiſsimus ex ſententia Divi a Ambroſij, qui alicubi: *Dignitas*, inquit, *eſt ſervum eſſe potentis*. Hæc mihi enarravit vir ætate effœtâ, ſed fide incorruptâ, qui ijs tẽporibus vixit. In Luſitania audio hoc ſervatum, vt Capella Regia, & Collegium Templi Cathedralis Vlyſsiponenſis alternis vicibus præcederet.

a *D. Ambro. comment. in 1. Timoth. 1.*

48 Pertinet etiam ad dignitatem Capellæ Hiſpanæ, quod in vniverſa Caſtellæ ditione nemo natalibus reſtituatur, ſi prius non inferat in Capellæ ærarium ſummam pecuniæ conſtitutam, & diploma ipſum non fuerit à duobus Capellanis ſubſcriptum.

Adhæc qui in Hiſpania conſequitur ea beneficia Regia, quæ viros nobiles condecorant cog-

cognomento Ducis, Comitis, Marchionis, necesse est etiam reponat in eodem ærario pecuniæ certam summam.quam præterea, & ad auctiorem exsolvunt Comes Stabuli, & Architalassus (Hispanicè *Condestable*, *Almirante*) quoties parentibus emortuis hæ dignitates, licet novo beneficio Regis, iure tamen quasi hæreditario ad natos deferuntur.

Demum Rex, Regina, & omnis cognatio Regia quotannis in suo quisque die natali tot nummos aureos serica instita circumligatos Capellano privatim sacris operanti offerre solet (sed reponendos in ærario Sacelli) quot annos peregerit; addito præterea uno quasi subsequentis anni arrhabone. Infertur etiam in ærarium quicquid auri, argentivè signati in Parasceve offerunt post infixa oscula signo sanctissimæ Crucis primùm Legatus Pontificius, qui eo die sacris operatur Pontificali apparatu, & Capellani quotquot adsunt; deinde Rex, Magnates, Maiores domus Regiæ. Hæc omnis pecunia coacta dividi solet in diurnas sportulas (quotidianas distributiones) Capellanis, qui adsunt, cùm bis quolibet mense in publico Sacello sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum adorandum exponitur.

Sed hæc posterius.

[*]

DE

# DE LECTIONE.

## CAPVT. V.

1 *AD Sacellanos Aulicos legendos quanta cura adhibenda? monita Concilia Parisiensis 2. Meldensis. 3. Aquisgranensis. 4. Laudantur in ea re Alphonsus in Hispania, Ludovicus in Gallia uterque Nonus. 5. Defensi Carolus M. & Ludovicus Pius. incōmoda ex electione infimorum. 6. Carolus litterarum amantissimus. 7. Capellanorum sacramentum cùm legebantur.*

1 SED NVNC inspiciamus quam curam, & diligentiam Reges optimi, & religiosi Imperatores adhibuere ad suos Sacellanos allegendos. Certè [a] Concilium Parisiense celebratū sub Gregorio IV. & Ludovico Pio hoc orat, & obtestatur suum Regem, ut omnem in hac re habeat rationem & diligentiam, eamque accuratam; quod si secus faxit, magno rei sacræ detrimento id fore autumat. Vnde non abs re facturum credo, si brevibus etiam tradidero, quo pacto in Regiū

[a] *Cōcil. Parisiense sub Greg. 4. lib. 3. c. 19. celebratū anno 829.*

Sacellum cooptarentur, qui ad eam dignitatẽ aſpirabant: quæ dignitas non ſolùm fuit ambita, quòd qui eam aſſequebantur, pari penè honore cum ijs cenſerentur, qui ad ſumma Sacerdotia erant evecti, ſed etiam quod ad ſummas, eaſdemque ſacras præfecturas (quod conſequens erat) hunc quaſi gradum quendam, atque aditum iactum intelligebant.

2. Hinc neceſsè fuit modum rei imponere, & obvios quoſque non cooptare, ſed eos tantũ allegere, qui iiſdem dotibus eſſent inſtructi, quas ſacri Canones delineant, & reputant neceſſarias ad ſummos Eccleſiæ honores adipiſcendos. Multa novere incommoda, ſi contrà fieret, Antiſtites illi, qui [a] Concilio Meldenſi interfuere: uſuque experti quot, quantaq; mala ex hac parum conſiderata Capellanorũ lectione ordini Eccleſiaſtico crearentur, ſapienter petiere, ne Principes ipſis inſcijs, & inconſultis ſinerent Sacello Regio aliquem adſcribi. Quiſquis enim inter Sacerdotes Aulicos lectus eò gradum faciebat, unde ad ſumma perveniret. Sed audiamus Epiſcopos ipſos, præter cætera, hæc loquentes: *Cùm quilibet Canonicorum ad Regiam venerit Maieſtatem, & ſuo ſe voluerit mancipare ſervitio conſenſu Epiſcopi, ad cuius diæceſim pertinere dignoſcitur, eum recipiat.* Nomine Canonicorum denotari Clericos, qui nondum eſſent ſacris ordinibus initiati advertit

[a] *Concil. Meldenſe celebratũ ann.* 845. *cap.* 58.

vertit [a] vir in re Ecclesiastica versatissimus. Atq; alibi observat [b] significatos eâdem voce quoslibet Clericos, qui alicuius Ecclesiæ opibus sustentarentur. Sed hîc intelligas Episcopi consensum eò collimasse; ut referret, & edoceret Regem quibus dotibus esset instructus, qui ad Sacellani gradum, & dignitatem contendebat. An aliquo crimine esset obstrictus? Vita quàm integra? Mores quàm incorrupti? Quibus disciplinis excultus? in hoc sensu Episcopi consensus, sive iudicium verè debuit accedere: utpotè cui mores & eruditio candidati Clerici debuerunt innotescere, si modò noscebat suas oves. Itaque fiebat ut nemo temerè involaret in Regium Sacellum: ij præsertim qui vagi & advenæ Regum Aulas frequentabant; dum in patria nequibant honestè, vel tutè degere.

a Ioã. Filesf. de sacr. Episcop. auct. c. 9. §. 15.

b Idem ibid. cap. 13. §. 5.

3 Vix est credibile quam lætitiam perceperim, cùm vidi hanc meam ratiocinationem confirmatam decreto non absimili, in quod incidi percurrens constitutiones Concilij [c] Aquisgranensis II. celebrati sub Gregorio IV. & Ludovico Pio; qui Princeps ob sacrarum rerum curam hoc cognomentum est adeptus. Idem enim, & eâdem causâ impulsi ab Imperatore petierunt sacrati Antistites in ea Synodo congregati, ne scilicet in suos Sacellanos adsciscceret obvios quosque; eandemque, ut dixi,

c Concil. Aquisgr. sub Ludov. Pio, p. 2. cap. 22.

xi, reddunt causam, quam nos dedimus; *Similiter, inquiunt, est postulandū de Presbyteris, qui hinc inde de diversis Parothijs veniunt, & in Palatio morantur; ut sine proprij Episcopi consensu ibi locum consistendi non habeant: quia fieri potest ut intra Parochiam metu perpetrati criminis, ne id palàm iuxta canonicas sanctiones ulciscatur, ædes Palatinas frequentent.* Antevertebant animo Episcopi illi, imò usu compertum habebant, qui aditus patefieret Sacellanis Regum ad summos & Eclesiasticos honores; quos qui assequūtur rei Christianæ clavum tenent.

4 Ab his Concilijs edocti Reges sapientissimi & sanctisimi in allegendis Aulę Sacellanis hanc, quam hactenus descripsimus, diligentiam adhibuerunt. In Hispania Alphonsus Nonus ad vivum expresit dotes, quas in Sacellano Aulico cooptando inspicere ij debeant, quibus hec cura incumbit; atque in opere Septipartito [a] legum Hispanarum istud reposuit tanquam legis particulam, & in ea verba: *Que debe ser ome mui Letrado, è de buen sesso, è leal, è de buena vida, è sabedor de uso de Iglesia.* Quæ verba esto pertinerent potisimum ad summum Aulæ Sacellanum, nihil tamen prohibet, imò interest, cæteris Clericis Palatinis accommodari, si volumus membra suo capiti respondere: sed hæc aliàs. In Gallia Ludovicus etiam Nonus, & in Divos jam

[a] l. 3. tit. 9. Part. 2.

relatus re ipsa istud præstitit: is enim verè principum cynosura neminem, si credimus [a] Paulo Aemilio in eiusdem vita, allegit in suum Sacellum, qui non fuisset & litteris benè imbutus, & virtute optimè instructus.

a Paul. Æmilius in vita Ludov. IX.

5 Quoniam verò est non nemo, qui Carolum Magnum & Ludovicum filium non leviter perstringat; quòd obscuros, & nullius nominis homines ad summos quosq; Ecclesiasticos honores evehebant; sunt hæ maculæ ab illorũ nomine (& occasio hic se offert) abstergendæ. In primis Theganus Chorepiscopus Treverẽsis in vita Ludovici Pij: *Iam dudum*, [b] inquit, *pessima consuetudo erat, ut ex vilissimis servis summi Pontifices fierent; & hoc non prohibuit Ludovicus, quod tamen maximũ est malum in populo Christiano.* Quam consuetudinem [c] alij interpretantur & repetunt usque ab Imperio Caroli patris; qui etiam humilis & abiectæ conditionis homines ad dignitates sacratas evehebat: testimonio [d] Monachi Sangallensis in hac dissertatione non semel laudati. Incommoda quæ inde sequebantur prosequitur Theganus ibidem, sed alijs verbis: *Siquidem*, inquit, *postquàm tales culmen accepissent, nunquam erant sicut antea tam mansueti, & sic domestici, ut non inciperent esse iracundi, rixosi, maliloqui, obstinati, iniuriosi, & minas omnibus subiectis promittentes, & per huiusmodi negotia cuperent ab omnibus timeri & laudari.*

b Thegan. in vita Ludov. Pij cap. 20.

c Ioan. Filesf. in querel. Eccles. Gallic.

d Monachus Sangall. lib. 1. vita Caroli M. cap. 4.

tur-

*turpissimam agnationem suam à iugo debita servitutis nitebātur eripere, & libertatem imponere. Tunc aliquos suorum liberalioribus studijs instruebant, alios nobilibus fœminis coniungebant, & propinquas suas filios nobilium cogebant accipere.* Sed uterque Imperator Carolus pater & Ludovicus filius, licèt in tempore hoc fecerint, excusatione tamen sunt digni. Ita enim ferebat temporū cōditio: cùm planè constet eâ tempestate nobilitatem à studijs litterarum abhorruisse. Nullus eius ordinis vel leviter erat doctrinâ excultus, nemo ferè sacris initiabatur. Vnde è Republica Ecclesiastica fuit, cuiuslibet cōditionis homines cæterà probos & eruditos, evehere ad summa Sacerdotia. Quòd si nonnulli suo muneri parum deinde respondebant, res est tribuenda vitio conditionis humanæ.

Præterea Ludovicum Pium ipsius Thegani verbis possumus excusare. Qui prius quàm dixisset, quæ retulimus ex eodem, hæc, quæ etiā subijcimus, præmiserat: *Omnia prudenter & cautè agens (*Ludovicus*) nihil indiscretè faciebat, præterquàm quòd Consiliarijs suis magis credidit quàm opus esset. quod ei fecit Psalmodiæ occupatio, & lectionū assiduitas, & aliud, quod ille non incipiebat.* Postquę Theganus meminit eius pravæ cōsuetudinis, quampluribus descripsit, & quâ vereor ne sugillet Carolum M. Ludovici patrē: quod si efficère voluit, immeritò illum perstringit.

6 Etenim Carolus in hac etiam re fuit magnus. scilicet amavit litteras, & viros litteratos, & cultus iste vel in Aula effloruit. De quo Imperatore ait Abbas [a] Vrspergensis: *Liberos suos ita censuit instituendos, ut tam filij, quàm filiæ primò liberalibus studijs, quibus & ipse operam dabat, censuit instituendos:* & posteriùs: *Artes liberales studiosissimè coluit, earumq; Doctores plurimùm veneratus magnis extulit honoribus.* Ad hæc præceptiones Grammaticas ipsemet composuit ut narrant Annales [b] Boiorum; imò Palatinos pueros idemmet Grammaticam edocuit Imperator, & Ludimagister: quod prodit in epistolis [c] Alcuinus. Preterea elaboravit ut adolescentes tùm nobiles, cùm plebeij litteris erudiretūr, quorū institutioni virum quendā Clementem nomine litteris insignem, ut ferebant tēpora, præfecit. Vnde aliquando è bello reversus voluit experiri quos processus in scientijs fecissent: cōperit adolescētes nobiles desides & ignavos, plebeios doctos & industrios. Vnde illis maledicta cōgerit, istis laudes; & laborū præmia promittit: *Dabo vobis,* inquit [d], *Episcopia, & Monasteria magnifica*: quod quia revera effecit, ut alibi dixi, occasionē fortè malignus aliquis arripuit Imperatori obloquēdi. Neq; verū prorsus existimo inlustri prosapia ortos omnes omnino à Sacerdotio abstinuisse. Exēplū peti potest ab eadē Aula, in quā Ludovicus Pius Caroli filius

a *Abbas Vrsperg. in Chronic. anno 760.*

b *Annal. Boior. lib. 4.*

c *Alcuin. epist. 15.*

d *Monach. Sangal. lib. 1 vita Caroli Magni c. 4.*

filius tres fratres nothos Drogonem, Hugonẽ, Theodoricum ſacris miniſterijs mancipavit: (de Drogone ex occaſione multa diximus, quem fuiſſe inſignem doctrinâ & probitate aſſeruimus teſtimonio Sergij II.) quamvis qui Politici audiunt, & omnia ſiniſtrè interpretantur, dicant à Ludovico hoc effectum, ut germani extra Rempublicam conſiſterent, nullamque eius partem attingerent. De Aulæ etiam Sacellano, & Abailardo Abbate Corbiensi, cognatis Caroli Magni, & de Hilduino Lotharij conſanguineo aliqua tetigimus. Qui ſint argumento nobiles interdum ſacris initiari ſolitos, & deinde evectos ad ſacras Præfecturas.

7 Sed ut redeamus è ſemita in viam, pertineret ad hanc noſtræ diſſertationis partem ea obſervatio, quam promiſimus: nimirum Regũ Sacellanos in ipſo honoris aditu, & cùm primùm in Sacellum Regium allegebãtur iuraſſe iuſiurandum, quo ſeſe obſtringebãt fidos Regi ſemper futuros, ſuique officij nunquam oblitos omnia præſtituros, quæ ad munus Aulici Sacerdotis pertinerent. Verùm hanc obſervationem reijcimus etiã in alium locum, & opportuniorem.

(·✝·)

## NOTÆ.

Pro Capella Aulæ Hispanæ.

8 *PRæmia invitant ad bonas artes: Aulæ Regiæ quibus viris sint ornādæ? 9. Lex Polonica de Sacerdotijs. 10. Canonici Lugdunenses soli nobiles; omnes Comites. Nobiles an præferendi? responsum Gregorij IX. 11. Caroli V. ad Siculos de Capellanis allegendis. 12. Sacellum Aulæ Hispanæ quibus apertum. 13 Hodiernus cooptationis modus. 14 Capellanum cooptandum qualem velit lex Hispana. 15. Capellanus olim Regum Confessarius. Hinc legi secreti tenax. 16. Historia de Rege Aragoniæ, & Confessario: Capellanus reus Maiestatis à quo puniendus? 17. Dotes aliæ explanatæ. Isabella Castellæ Regina corripit Sacellanos in syllaba peccātes. Lapsus linguæ Sacellani Regis Sueviæ. 18. Capellanus Aulæ Hispanæ puri sanguinis. 19. Iusiurandum in ingressu honoris.*

8 QVI alijs præsunt subditos accendere debent ad virtutis adquisitionē præmijs, & honoribus; quæ si demas è vita mortalium vir-

virtus se ipsa interdum non cōtenta (licèt immeritò, & vitio mentis an gentis humanæ?) iniucunda est, & parum suavis. unde qui publica moderantur, si non extollant viros dote aliquâ insignes, licèt humili conditione ortos, isti quidem humi usque serpent, nullo adiumēto Reipublicæ futuri, dum in obscuro loco seponuntur; vel maximè ad deferenda beneficia Ecclesiastica; & summa Sacerdotia non tam origo natalium, quàm reliquæ candidati partes sunt inspiciendæ. Hinc sacræ sodalitates, & Regum etiam Sacella interdum suas referant fores, aditumque patefaciunt litteris, & scientijs præsertim coniunctis cum probitate. nam virtus absque litteris sibi tantùm arat, sibi occat, sibi seminat; litteræ verò si virtute destituantur, & habenti & alijs solent parere ruinam. Quod si ad probitatem, & scientias nobilitas accedat & splendor natalium, huiuscemodi hominibus Regum palatia exornentur. Hanc enim ornatus partem non despexere in suis Aulis optimi Principes, imò potissimum decus reputarunt, *Ad ornatum Palatij credimus attinere, aptas dignitatibus eligere personas, quia de claritate servientium crescit fama dominorum.* ait [a] Theodoricus.

9 Dura aliquibus fortasse videatur lex Polonica, edita anno 1496. in ea verba: [b] *Plebeij ad maiorum Ecclesiarum Dignitates, Personatus,* Ca-

a *Cass'od. li. 4. epist. 3.*

b *Rbenatus Choppin. li. 3. de dom. in fin. leg. 75.*

*Canonicatus & Præbendas non admittantur.* Ioãnes Albertus Petricoviæ. Dura, inquã, meritò censeatur: cùm Auctores huius legis virtuti exangui, & famelicæ lac, & alimẽta subtrahãt. quod quoties honores denegantur, toties usu venit. Quis ad bonas artes se accinget si nulla manẽt præmia laborantem? Vnde Poloni eam legem tanquam parum favorabilem honestis disciplinis iure, meritòq; aliâ temperarunt, quæ nobilibus & plebeijs Sacerdotia antedicta æquâ lãce distribuit [a] : *De pari numero plebeiorũ, & nobiliũ in Ecclesias Cathedrales suscipiendorũ.* Alex. Rex in Radom. anno 1505. Scio quid censuerit Gregorius IX. de consuetudine Ecclesiæ Argentinensis, quæ solis nobilibus Sacerdotia permittebat. Verùm de eo Pontificis [b] responsô præter Iuris Pontificij Interpretes essent [c] alij cõsulendi, & disquisitio non est huius loci.

10. Neque etiam eo inficias ingẽs decus, & ornamentum accessurum ad nõnulla Collegia, & sodalitates Ecclesiasticas (inter quas primo loco censeri deberet Sacellum Palatinum Regis Hispani) si in ijs mos ille teneretur, ut nõ nisi nobiles in sodalium numerum allegerentur. Non video improbatum morem non absimilẽ Ecclesiæ & Collegij Lugdunensis; cuius Canonici recensentur solùm orti parẽtibus nobilibus: imò [d] singuli Comites dicuntur, quo illustri honore licèt profanæ dignitatis exornati:

a Rhenat. Chopp. loco citato, l. 76.

b In cap. venerab. de præbẽd. ubi DD.

c Chassan. in Catal. glor. mũd. par. 8. consid. 5. & seqq. Paul. de Castr. consil. 108. & 209. Ferdin. Vazquez lib. 1. controv. illustr. c. 21.

d Rhenat. Chopp lib. 2. de sacr. polit. tit. 1. n. 17.

nati sunt beneficio Philippi IV. Galloru Regis. Quem morē uno, & altero diplomate Pōtificio firmarūt [a] Martinus V. & Clemēs VII. Pontifices Romani. Quibus deinde accessere Regum Gallorum Regij codicilli ut nimirum mos ille, & privilegia irrogata Collegio Canonicorum Lugdunensium, vicē legis obtinerent, quoties de ea re necesse foret disceptare in Regio Senatu. In multis Germaniæ urbibus licet ignobiles admittantur ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, quoties tamen ob Antistitis electionem itur in suffragia, haud possunt ad summum eius Ecclesiæ, cui sunt adscripti, Sacerdotium aspirare: soli nobiles Canonici summę dignitatis sunt capaces. Qui etiā in primo aditu honoris, & cum Collegio adscribuntur non solum avos, atavos etiā ostendunt nobiles, atq; splendidos. Cūm [b] novos in Belgij nobilissimis urbibus Episcopatus Catholicus noster Hispaniarum Rex excitasset, novē primos Collegij cuiuslibet Cathedralis Canonicatus ita distribui mādavit, ut tot nos terni Theologi, cæteros sacrarū legum cōsulti, viriq; nobiles acciperent. Licet dubitatione postmodū ortā an viros istos nobiles Academicos etiā gradus ascendisse oporteret? decrevit Pōtifex Maximus, oportere. Quod etiā Ethnici è nobilitatis ordine selegerint, quos divinis ministerijs addixerunt, suprà memini dixisse.

[a] Idem. lib. 1. tit. 4. n. 20.

[b] Molan. li. 2. de Canon. cap. 29. Serrari. orat. 51. Lutherotur. citat.

11 Ca-

11 Carolus V Imperator ter maximus, & Reges (ut ex eiusdem responso licet conijcere) qui illi antecesserunt ad decus, & dignitatem Regij Sacelli censuerunt pertinere, si Aulicorum Sacerdotum sodalitati nomen darent viri nobiles & splendidi. Cùm enim Siciliæ Regnũ in publico omnium ordinum Conventu ab eo peteret, ut inter Regios Sacellanos sex Siculos allegeret; Imperator a respondit, libenter id præstiturum; sed more maiorum: qui hoc Regium beneficium Siculis nobilibus indulserat.

a *Capitula Regni Sicil. Caroli, cap. 140.*

12 Quamobrem Reges nostri Augustissimi tametsi Sacellani munere, & titulo interdum ornent nonnullos, quibus virtus & litteræ Regij Sacelli fores aperiunt; omni tamen tẽpestate viros primariæ nobilitatis inter suos Sacellanos cooptarunt. Non multum temporis effluxit, ex quo visus est in Regio Sacello quispiam è Sacellanis ad Magnates Hispaniæ transijsse; utpotè cui fratre Magnate mortuo Dynastia obvenerat iure hæreditario. Planè lex Hispanica licèt ad cooptãdos Sacellanos de origine nataliũ, & nobilitate ni hil statuat, attamen Gregorius b Lupus eiusdem Glossographus disertis verbis asserit, debere Sacellanum Aulæ Regiæ inter nobiles censeri.

D. Henricus Henriquez Comes Alveç de Listá.

b *Iul. 3. tit. 9. par. 2.*

13 Sed inspiciamus lectionis modum, qui servatur his temporibus in Aula Hispana. Cùm hodiè alleganutr Capellani multarum nationum,

num, quę subduntur Hispano Imperio; summus Capellanus refert ad Regem de coopiandis Capellanis Castellanis,& domus Burgundicæ; nec nō Ierosolymitanæ Religionis, quos tamen illa proponit. Senatus Aragonius, & Italicus de alijs, qui in his Regnis sunt orti, quæ uterq; supremus Senatus moderatur. Cōsilium verò Ordinum Equestrium referre solet de Capellanis in Sacellum Regium allegendis è Militaribus Ordinibus sancti Iacobi, Calatravæ, Alcantaræ.

14 Quibus verò dotibus debent esse ornati, qui Regi proponuntur, ut eos in suum Sacellum adsciscat, apertè definit lex Hispana Alphonsi Regis, & in opere Septipartito, ad quā ut opinor, se conformant quibus ea cura incūbit: quas hîc referam, licèt alia adnotaverim de re eadem, & quidem ex Concilijs orthodoxis: verùm quæ requirit hæc sunt suo ordine: litteraturam non mediocrem, prudentiam, vitam incorruptam, fidam Regibus operam, usum & peritiam rituum Ecclesiasticorum. Nescio an alia præterea requirantur ad hominē summis, & sacratis dignitatibus exornandum. Sed præstat audire a legem, sive Regem suâ linguâ iterum loquentem: *El Capellan deve ser muy Letrado, è de buen sesso, è leal, è de buena vida, è sabedor de uso de Iglesia.* Neque contentus Rex meris verbis addit etiam rationes. Vult Capellanum

a l.3. tit. 9. par. 2.

instructum scientijs præsertim; ut possit suo muneri facere satis; præterquàm quòd sæpè ad summa Sacerdotia evehendus est: ad quæ si accedat, non benè litteris imbutus, iam fiet dubit lapis supra lapidem. Imò lapis esset antè statuam Mercurij proiectus. quæ res quoties evenit, toties ridet [a] Sapiens Hebræus. Verùm lex prærequirit in Aulico Sacerdote non mediocrem litteraturam; ut adhuc degens in domo Regia possit respondere viris Palatinis, imò Regi ipsi interroganti aliquando de mysterijs, quæ ad fidem Christianam, & sacra Biblia intelligenda pertinent: [b] *E Letrado es menester sea para que entienda bien las horas, e las escrituras, e las faga entender al Rei, e le sepa dar consejo de su anima quando se le confessare.*

15 Quæ postrema ratio Regem etiã movit, ut Capellanum fidum optaret, & secreti tenacem. Nam inter cætera munera, quæ tunc tẽporis obibat, Regis confessariũ agere solebat; ut lege laudatâ denotatur. Quod munus is Aulæ Sacellanus exercebat, vel qui in orbe sacra faciebat, vel qui huic muneri, ut credere par est, designabatur. Certè non videtur id effecisse summus Capellanus, ut ex lege ipsa colligi potest nõ obscurè. Quamobrem cũ Principis arcana exciperet in sacra exomologesi, ne ea per summam levitatem, & perfidiam aliquãdo detegeret, meritò quàm fidissimum desiderat.

Lex

a *Proverb. 26. num. 8.*

b *l. 3. tit. 9. par. 2.*

Lex planiùs eloquitur: *E otro si deba ser* (el Capellan) *de buen seso, è leal, porque entiende bien como le debe tener poridad de lo que dixere en su confession.*

16 Non fuit supervacaneum monere de ea re Capellanum, seu Confessariũ; neque enim defuit olim, & in Hispania vir sacratus & Antistes, Regisq; Aragonij Confessarius, qui rẽ arcanã (quam exceperat dum Regẽ noxis expiabat) detegeret, ductus, ut sibi videbatur, Reginę caritate, cui Rex repudiũ remiserat. Sed Antistitis, & Confessarij iniuriam maiori scelere ille vindicavit. Adduci enim ad se iussit, & linguam coram abscindi imperavit. turpe facinus, & verè fœda carnificina. Licèt dolor retecti arcani, & religionis violatæ ab Episcopo Regem impotentem stimulare potuerunt. Qui deinde pœnitentiâ ductus agnovit crimen, & in publico Episcoporum Conventu publicâque exomologesi est confessus humi iacens pœnitentis habitu, penasque è Legatis Pontificijs impositas meritò subijt, libens exsolvit. Rex [a] fuit Iacobus I. Episcopus, qui egit Confessariũ malè cautum, fuit Gerundensis. causa memoratur, Therasiæ Reginæ non servata fides matrimonij, & Violantæ spes facta Regij connubij. Particula huius legis dedit etiam occasionem inquirẽdi Gregorio Lupo [b] in suo Glossemate, à quo iudice esset pu-

[a] Ioã. Marian. lib. 13. de reb. Hisp. cap. 6. Gom. de reb. Iacob. I. l. 14.

[b] Greg. Lup. l. 3 tit. 9. p. 2.

nien-

niendus Capellanus, si crimen illud patraret, id est arcana sibi commissa divulgaret. Læderet enim Regis Maiestatem præter iniuriam irrogatam sacramento Pœnitentiæ. Sed tanquam Clericum, licet læsæ Maiestatis reum, ad suum iudicem remittit. Qua in re favorabilior est ordini Ecclesiastico quàm Iurisconsulti quidam Gallici.

17 Quod verò pertinet ad vitam incorruptam hæc subdit lex, dum reddit rationem cur in Capellano mores integros inesse velit: *E de buena vida es menester que sea, que aquel que ha de hazer tan santa, i tan noble cosa, consagrar el cuerpo de N. S. Iesu Christo, è debe aver en guarda el anima del Rei: mucho conviene que sea limpio, è bien acostumbrado: de guisa que el Rei, i los de su Casa puedan tomar dèl bueno exemplo, è lo que ha de castigar en los otros, no lo aya en si.* Sed hæc sint communia cum omnibus Sacerdotibus.

Demum eadem lex alias recenset rationes, ob quas Regis Sacellanus peritus esse debeat rituum Ecclesiasticorum: sic prosequitur: *Debe ser sabedor de uso de la Iglesia, como de suso diximos, de guisa que las horas que dixere al Rei, è a los otros que le ayudaren, que las diga bien, è aprestadamente, segun conviene, cà quando assi son dichas, con mejor coraçon, è mejor devocion las oyen los omes, mas que lo fazen se yerran en el son, ò en las palabras.* Huius præceptionis observantissimos voluit suos Sacel-

cellanos [a] Isabella Castellæ Regina, & virilis animi fœmina: cùm enim artibus ingenuis, & litteris adeò dedita fuisset, ut memorent ætate jam provectâ sermonem Latinum didicisse; nec modò Latina ipsam cœpisse, verùm etiam in sermonem patrium vertisse; quoties sacris operabatur, si Capellani lapsantes in syllaba peccabant, illicò advertebat, imò & sæpe admonebat. Nescio etiam accusem ne oscitantiā an imperitiam [b] Sacellani cuiusdam, qui in Aula & Sacello Regis Sueviæ divinas preces recitabat (Sueno erat nomen) Cùm enim pro Rege ipso publicas legeret preces, legendumque esset ex formulæ præscripto, *Vt Regem nostrum famulum tuum conservare digneris, &c.* incautè, opinor, legit alio modo: Vnde risus adstantium ingens fuit subsecutus. Sed ego fuisse lapsum linguæ omnino interpretor, licèt ille contrà sentiendi causam dederit: perhibent enim ob eam rem tanto pudore suffusum, & tantâ pertinaciâ ad litteras animum adiecisse, ut evaserit vir doctissimus, electusque fuerit Episcopus de Roschield.

[a] Lips. in mo nit Polit. c. 7. & 8. lib. 1.

[b] Chavas. de perf. Et. Prudent. lib. 1. cap. 7. §. 5.

18 Viget etiam in Capella Aulæ Hispanæ statutum illustrissimis quibusve Ecclesiasticis Hispaniæ Collegijs commune. Ne quis scilicet in illam cooptetur, nisi prius probaverit ex bono & puro genere se natum, non ex avis, atavisve Iudæis, Mahumetanis, vel Hæreticis pro-

progenitum: eodem planè modo, quo necesse est etiam ostendant prosapiam paternam, maternamque puram ab omni Maurica, Iudaicaque colluvione, qui in celeberrimis Hispaniæ itidem Academijs Collegiorum Epomide optant decorari. Secus verò hoc nostro Aulico honore nemo censetur. Sed quoniam de hoc argumento multi scripsere, & in primis habemus defensionem statuti Toletani, ut brevissimam sic doctissimam, conscriptam à Didaco Vasquio, qui Theologum quendam Gallum in Archiepiscopum Toletanum, aliosque insurgentem in synagogę sterquilinium benè abigit, ideò supersedendum duxi de hac re pluribus agere.

*Henricus de Mauroy Theologus Parisiensis.*

19 Subijciam hîc ultimo loco formulam iurisiurandi quod iurant, qui primùm alleguntur in sodalitatem Palatinam Aulæ Hispanæ: licèt antea adnotaverim, Sūmo Sacellano deferri iusiurandum à primo Maiore domus Regiæ; Præfecto Regiarum cortinarum ab ipsomet summo Aulæ Antistite, cæteris Sacellanis à Receptore, qui in hæc verba iurant.

EGO. N. *ab hac hora in antea fidelis erò sancto Petro, sanctaq; Romanæ Ecclesiæ, Dominoq; nostro Papæ, eiusq; successoribus canonicè intrantibus: similiq; modo fidelis ero Regi* N. *Domino nostro, Reginæ & Principi, pro tempore exi-*

*stentibus, eisq. fideliter inservire curabo: Regis nostri Maiestatem, auctoritatem, praeeminentias & regalias, eiusq. Regiae Capellae, & domus, & quae utilia erunt pro viribus defendam, tutaborq., & his contraria removebo, & si per me id praestare non potero, Capellano meo Maiori Regio pandam, cui tanquam superiori meo Ordinario, pro tempore existenti obedientiam, reverentiam, & subiectionem promitto, & quod mihi ab eo, & suo nomine fuerit iniunctum, omni morâ postpositâ adimplebo, eius honori bono, & commodo Capellanorum & Cantorum, aliorumq., Ministrorum & ipsius Regiae Capellae consulam, & quae commoda esse poterunt, procurabo: Capellae Regiae secreta, & quae in eius congregationibus agentur, custodiam, eiusq. constitutiones, & statuta, & tandem ea omnia observabo, quae ad honorem & decorem praedictae Regiae Capellae concernere & spectare intelligam; sic me Deus adiuvet, & haec sancta Dei Evangelia.*

# DE MVNERE.

## CAPVT. VI.

1 M*VNVS Aulici Sacellani sacris operari domi, & foris. Carolus Magnus qualem optaverit in bellis: de quo iucunda historia.* 2. *Regijs*

*mensis benè precatur. 3. In Aula Bizātina id munus præcipuè Protopapæ. Ferculū è mēsa Imperatoria accepit. 4. In magnis festis alij Clerici ferculo donati. Itē Proceres, & Magnus Domesticus cum Disco. 5. In eadē Aula Græco Imperatori Sacellanus, è re Lampadarius, prætulit lampadē, & quā ob causam. 6. In utroq; Imperio Orientis & Occidētis ante pugnā Sacellani quid effecerint. 7. Capellani olim à secretis Regū. 8. Carolus M. cur Episcopatū uni ademerit, alteri dederit.*

1 PAUCA subijcere oportet de officio, seu munere, quo Aulici Sacerdotes in Aulis Regū fungebātur: res ipsa de se loquitur. etenim tanquam mystæ, & Deo dicati Regibus præsentibus sacra mysteria peregerūt. Nec modò domi, & in Aula; foris etiam, & in castris rem divinam fecere: quando scilicèt classicum canebat, & turbatâ pace bellum movebatur; quod Reges ipsi gerere malebant. Occurrit hîc factum Caroli Magni, quo vel declaravit quàm robust & firmâ corporis valetudine debeat esse prudentius Sacellanus, qui Regum sequitur itinera; vel certè viros sacratos voluit modestiæ admonere. Illud subijciam Autoris verbis, qui in vi-

ta eiusdem Imperatoris refert eam historiam, nec illepidam: *Defuncto quoque*, ait [a] ille, *alio Pontificem quendam iuvenem* (fuisse Sacellanum bene possumus opinari ex ijs, quæ idem Auctor narrat de more Caroli Magni) *in locum eius substituit Imperator; qui cum lætus ad abeundum exiret, & ministri eius iuxta gravitatem Episcopalem caballum ei ad gradum ascensionis adducerent; indignatus ille, quod quasi pro infirmo eum habere voluissent, de plana terra ita super eum ascendit, ut vix se retineret in eo; quin in ulteriorem partem decideret. Quod per cancellos Palatij Rex prospiciens, citò illum ad se vocari præcepit, & sic eū allocutus est. Bone vir, celer es, & agilis, pernix, & præpes; atque ipse tu nosti multis bellorū turbinibus, undiq; serenitas Imperij turbatur. Idcirco opus habeo tali Clerico in comitatu meo. Esto igitur interim socius laborū nostrorū, dum tam celeriter ascendere potes caballum tuum.* Hanc eandem historiā paulò aliter expressit Auctor damnati nominis, & retulit in Annales Boiorum, sed tacito interim Auctoris nomine. Item alium, loquitur de eodem Imperatore, lætiorem ob Pontificatū donatū, atq; gestientē, & ab humo in equū absque scamno, sive subpedaneo uno impetu subsilientem revocavit. Vales, inquit, ut video, viribus, & eques haud malus es: Tua opera in bellis, ubi tua virtus enitescat, indigeo: proinde ignobili & imbecillo, oves & gregem pecudū relinque:

a *Monach. Sang. lib. 1. in vita Caroli M. cap. 6. apud Henr. Canis. to. 1. antiq. lect.*

que:sed, ut vides, parum bonâ fide hæc [a] transcripsit. Hasce expeditiones bellicas, & alia Regum itinera Sacerdotes Palatini sequebantur, sacra mysteria facturi: sacras etiam Sanctorum reliquias adservabant, & iuxta statas Ecclesiæ cæremonias sacra omnia obibant.

a Annal. Boiorum lib. 4.

2. Quoniam verò Aulicorum Sacerdotum munus etiam fuit Regijs mensis benedicendi, circa morem istum libet aliquid annotare, cũ fuerit usitatus in utroque Imperio Orientis & Occidentis. Quod pertinet ad hanc Imperij partem, extat [b] lex Ludovici Pij, ne *Clerici & Religiosi laici panem ederent, nisi hymno dicto.* iubet etiam post cibos Deo bonorum largitori gratias agi grato animi affectu. Quicquid is Princeps verè Pius lege præcepit, citra dubitationem id firmavit exemplo; si præcipuè spectabat ad Dei cultũ, & nihil erat, quod de maiestate Regia detraheret. At quid hac præceptione sanctius quàm summę Dei bonitati, unde ad nos bona [c] cuncta ceu ab augusto quodam fonte promanant, accepta omnia referre? Qui mos mensis, & cibis benè precandi, vel Ethnicis fuit usitatus; ut demõstrat Oratorum [d] institutor: *Invitavi ad cœnam, inquit, quæ hic circumscriptio est? pauper divitem: venisti: ago gratias, habuisti honorem, & illud humile limen intrâsti, & adisti mensam, ad quam cùm venire*

b Lud. Imp. in Adict. 4. capitul. c. 49

c Deuter. c. 8 num. 10. Iambl. c. 28. Arist. lib. 8. Eth. cap. 11.

d Quintil. declam. 301.

cæ-

*cùm venire cœpimus, Deos invocavimus*: morem excepere primævi [a] Christiani,& retinuerunt qui sunt consecuti.

3 Viguisse eundẽ morem in Aula Cõstãtinapolitana nobis reliquit consignatum in suis cõmentarijs Georgius Codinus: & tradit non subobscurè munus istud Protopapæ fuisse; aut, si is fortè aberat, alterius cuiuslibet Sacellani Imperatorij. Refert præterea receptũ usũ extitisse, ut utrivis Sacerdoti, postquã fuerat benè precatus mensę Imperatoriæ ferculum daretur ex eadem mensa, & ex multis quæ distribuebantur viris Palatinis, qui solebant adstare præsentes Imperatori mẽsæ accumbenti. Verba [b] Codini Latinè facta hæc sunt: *Absolutâ liturgiâ Imperatore ad mensam præsente priusquàm accubat, venit Protopapâ, aut alius de Sacerdotum numero, & benedicens Imperatoriam mensam accepto pane, & ferculo discedit.* Hîc duo observa, ferculum datum, & panem, eoque habito Sacerdotis Aulici discessum. Licèt ego ut primũ laudo, ita alterum non probo. Rationi fuit cõsentaneũ, Dei Sacerdoti post benè precandi formulã, Regię mẽsæ primitias dedisse, quæ debẽtur in re omni viris divino cultui dicatis. Quod verò ad finem mensæ usque non perseveraverit, omninò displicet. Cur enim idem Sacerdos ob accepta beneficia sublatis mensis Deo datori gratias non ageret? *Nec cibi sumantur nisi*

a *Tertul. in Apol. cap. 39 Chrysost. homil. de prec.*

b *Geor. Cod. lib. de off. Aulæ & magn. Eccles. cap. 7 num. 20.*

*oratione præmissa, nec recedatur à mensa, nisi referatur Creatori gratia*: aiebat Divus [a] Hieronymus. Quæ etiam fuit præceptio Patrum Grecorum, & mos Catholicorum vetustissimus: quem pluribus illustrat Auctor [b] Mystagogi: adductâ in primis lege perspicuâ, & in [c] Deuteronomio consignata: cuius usq; adeò fuere Hebræi observātes, ut deinde lege veteri abrogatâ superstitiosiores in ea re apparuerint. Etenim ob neglectas gratias mortem obrepere habebant persuasum. Ita R. Iudas Hebręæ Theologiæ Doctor in Thalmud. tria recensuit quæ fatum accelerarēt, hominesque ex hac vita subitò abriperent: inter ea secundo loco ponit, post cibum sumptum gratias Deo non egisse.

a *Epistol. 22. Chrysost.*

b *Cresol. lib. 4. Mystag. c. 24. sect. 1.*

c *Deut. cap. 8. 10.* Cùm comederis & saturatus fueris benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi, *vel ut reddit Vatablus*: Age gratias Domino Deo tuo in terra illa bona, quam dedit tibi.

4 Ad hæc in magnis quibusdam, & solemnibus diebus anni festis nō modò Protopapa, vel alius Clericus Palatinus eo absente ferculum ex Imperatoris mensa accepere; verùm alij Sacelli Imperatorij officiales, & ex musicis non nemo; videlicet Magister. is enim non modò recēsebatur inter officiales Cleri Imperatorij; sed etiam omnibus Cantoribus tanquam Phonascus erat præfectus. Vnde cum ijsdem indumentum habuit eiusdē coloris, si rectè memini quod alibi annotavi; id est purpureū superpelliceū, ipsi *camisium* voce Græco-barbara vocabant; cùm alij Clerici Palatini nō nisi candidū sibi superimponerent. Itaque Magister in festo

Epi-

Epiphaniæ cantabat ad mensam Imperatoriam cum reliquis musicis; sed solũ ferculũ tollebat. quod, uti existimo, fuit illi indultũ ut Phonasco, nõ ut officiali, cùm in Clero Palatino alij numerarẽtur officiales, qui tamen eo die ferculũ non habuere: ut liquet ex verbis [a] Codini. Sic enim rẽ enarrat, loquẽs de Cantoribus ad mẽsam Imperatoris modulos facientibus: *Postea ingrediuntur etiã Cantores cũ suis Epirrhiptarijs & camisijs, canuntq; festi proprium canticum, nempè illud: Magi Persarum Reges*: & post alia subdit: *postquàm isti cantandi finem fecerunt, & Imperator iterũ comedere cœperit, Magnus Domesticus ad mensam reversus extremã eius partem occupat, vocatq; nominatim primum Cantorẽ, Domesticũ, Lampadariũ, & Magistrum, traditq; illis fercula, quæ de manibus eorũ tollunt Canonarchæ, quemadmodũ Imperatorij Pueri à proceribus, ut ante dictũ est, & foras efferunt.* Nomine primi Cantoris Protopsalten intellige, ita vertit alibi Gretserus, & Græcus codex habet τὸν πρωτοψάλτην, Protopsaltẽ. Vnde quatuor Clerici Palatini potissimũ eo honore ferculi donabantur. Protopsaltes & Domesticus: hic præpositus Clero Imperatricis, ille Imperatoris, tertius Lampadarius, quartus Magister, vel ut officialis vel potius ut Phonascus. Atqui magno Domestico ferculũ quis dedit si ipse cæteris distribuit? an eo caruit? non ita. imò accepit cum auctario. nam ab Imperatore ha-

[a] Georg. Codin. loco cit. num. 24.

buit, & cum vase, in quo erat ferculum reposi-tum, sive aureum illud fuerit, sive argenteum: expressè Codinus: *Caterùm postquàm magnus Domesticus omnibus ferculum impertijt; Domestico & Prafecto mensa recedentibus, iterum ministrat magnus Domesticus, qui ut explicatum est, omnibus dat fercula: magno autem Domestico ipsemet Imperator suâ manu ferculum porrigit. Et vasa quidem ferculorum qua alijs dantur, sive aurea sint, sive argentea, rursus inferuntur in vestiarium; at vas illud, quod magnus Domesticus ex manu Imperatoris accipit sive aureum sit, sive argenteum non infertur amplius in vestiarium, sed magnus Domesticus tanquam sibi donatum retinet.* Verùm hæc obiter sint dicta.

5. Alterum quod hîc libet annotare, est mos lampadis Imperatori præferendæ. Vnde is, cui tale munus obtigebat, Lampadarius dicebatur. Quæ lampas duplici coronâ, eâque auteâ fuit cincta. Causam eius ritus, & ornatus habent [a] Codinus & Balsamon [b]: *Lampadem, ait ille, praferunt Imperatori propter illud Christi dictum: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Rectè hoc quòd lampadem Imperatori præferrent, ut boni exempli esset: alterum malè quòd cum ornatũ adhiberent, ut denotarent Imperatorem Constãtinopolitanum duplici potestate fuisse præditum;

[a] Georg. Cod. loco cit. num. 37.
[b] Balsam. lib. 7. iuris Græco. Rom.

quâ

quâ scilicet sacra & profana moderabatur, ut Græcâ levitate recentiores Græci suis Imperatoribus palpum obtrudebant. Hinc etiam prætulere lampadem, sed tantùm unicâ coronâ incinctam Imperatrici, & Patriarchæ: quòd iste rerum spiritalium curam tantùm haberet; mulieres verò temporanea dumtaxat spectarent. Quam prærogativam alijs Patriarchis, & quibusdam Metropolitanis fuisse etiam attributam, refert idem Balsamō in iure Græco-Romano.

6. Præterea in eodem Imperio Bizātino credibile est, imò certū; Sacellanos Aulicos & Castrēses quoties clasicū canebat, id in bello potisimū effecisse, quod fieri præcipit Leo Imperator [a] in Tacticis, sive libro de re militari. Vt nimirū Sacerdotes ante prælium ineundū, sive terrestre fuerit, sive navale vexilla cōsecrarent solemnibus cæremonijs (Banda & Flāmula ipse vocat omnino barbarè) tametsi Ioannes Checus, & Ioānes Meursius corruptæ religionis homines, adeòq; Sacerdotū, & piorū rituū osores, cùm Leonis præcepta militaria in Latinam linguā vertissent, eius Sacerdotalis ministerij non meminerint. Checi imposturā detegit [b] Antonius Possevinus in selecta Bibliotheca; ego in versione Ioannis Meursij eandem deprehendi.

[a] Leo in Tacticis initio c. 13. & cap. 19. num. 21.

[b] Ant Possevin. lib. 5. Bibliot. c. 7.

Quod hoc ipsum Capellani effecerint in Impe-

perio Occidentis non ambiget, qui legerit literas a Caroli M. scriptas ad coniugem Reginam cum nuncio Avaricæ victoriæ: quam non tam tribuit Ducum solettiæ, quàm Aulicorum Sacerdotum pietati & cōsilio. ij quippe ante pugnam ad Numen propitiandū Carolo persuasere, ut triduanæ supplicationes haberentur. Item ut omnes milites eodem tempore vino & carne abstinerent; sed imbecillus corpore si ditior & potentior erat solidum unum (erat genus monetæ) eleemosynæ nomine elargiretur, sin autem pauper, saltem unicū denarium; ipsi verò Sacerdotes sacrum facerent; minores Clerici Psalmos recitarent. *Sic consideraverunt Sacerdotes nostri, & nos omnes ita aptificavimus, & Domino adiuvante complevimus*, ait Carolus ad Reginā: quibus peractis victoriā est potitus. Parū providè diceret hic aliquis; nō erat potius è re bellica corpora curare? eo enim tēpore vires sunt refocillandæ nō debilitādę. At qui hęc loquitur ignorat quoties ieiuniū fuit parens victoriarum: quo sæpissimè ingentes copiæ hostiles sunt profligatæ. Adeat Hieronymum b adversus Iovinianum. Et quoties supplicationes de hostibus trophæa reportarunt, collegit c Serarius, quē consulat, qui velit: non est huius operis & instituti omnia cōplecti.

a *Extant to. 2. Conc. Gallic. ann. 790. e ✝ editione Sirmondi.*

b *Lib. 2. & Salian to. 3. anno. 2964. n. 87.*

c *Lib. 1. de process. cap. 3. & in Litenauteco.*

7 Non sine aliqua probabilitate licet etiā con-

iectari munus aliud, & quidem magnificiendum obtigisse Capellanis ædis Palatinæ temporibus Caroli Magni, & successorum. Iisdē Regibus [a], & Imperatoribus fuere à Secretis. Ita ferebat temporum conditio, cùm Clerici ferè soli, & qui erant Deo dicati litterarū studijs animum adijcerent. Quam observationem confirmant eius & vicini ævi Scriptores; qui ferè omnes viri sacrati fuêre. Ex quibus præcipuè Rempublicam illustrarunt suis scriptis Aymonius, Annonius, Adelmus, Benedictinus, Theganus, Benedictus Levita, Ansegisus Abbas, Sigibertus, Regino, & alij [b] innumeri. Vvippo, qui scripsit vitam Cunradi Salici, fuit eiusdem Capellanus. is in præfatione se excusat, si quid minus rectè scribat: quòd ægrâ valetudine impeditus Aulam & Capellam nequibat frequentare. Pro Sacellanis Aulæ habemus etiam luculentum testimonium Monachi Sangallensis occasione aliâ laudati. Is [c] refert, ut diximus, Carolum Magnum cooptasse inter suos Sacellanos Clericum quendam, licèt pauperem; qui tamen graphicè scribere, & plurimas litteras poterat dictare. An non est hoc aliquem à Secretis sibi seligere? Lupus Abbas Ferrariensis, qui à multis Consiliarius Caroli Calvi appellatur, idem munus obijsse liquidò colligitur ex [d] epistolis, quas eiusdem Regis nomine ad non paucos scribit idem

a *Buleng. de offic. Reg. Gall.*

b *Rbe. Choppin lib. 2. de sacr. Pol. tit. 8. n. 16.*

c *Monachus Sangal. lib 1 vitæ Caroli M. cap. 4.*

d *Lup. Ferrar. epist. 81.*

a *Idē ep.* 25. idem [a] Abbas Clerici cuiusdam meminit, cui Ludovicus erat nomen, & apertè asserit fuisse Scribam, sive Secretarium Caroli Calvi: *Ludovicus*, [b] inquit, *magnæ indolis & epistolare in Palatio officium gerens:* Sed nullum dubitationi locum relinquit auctoritas Anastasij in vita Adriani I. P. R. quo loco meminit donationis subscriptæ à Carolo M. Romanæ Sedi. Nam qui illam exaravit, fuit Aulicus Sacerdos, & Imperatori à Secretis: *Bono ac libenti animo*, ait Anastasius, *aliam donationis promissionē adinstar anterioris ipse antedictus præcellentissimus, & re vera Christianissimus Carolus Francorum Rex adscribi iussit per Etherium Religiosum, ac prudentissimum Capellanum & Notarium suum, ubi concessit easdem civitates & territoria Beato Petro, &c.* Donationem anteriorē vocat eam, quam Pepinus Caroli pater fecerat, & quam Fulradus eiusdem Capellanus Romam detulit, ut alibi diximus. Hinc sunt qui tradunt tanquam rem exploratam, Clericos, qui ijs Regibus erant à Secretis, Notarios, seu Secretarios Palatij, aut Coronæ Franciæ communiter dictos; cæterorum verò Principum Regibus inferiorum Clericos tantùm appellatos.

b *Bulleng. de offic. Regn. Gall.*

8 Hoc caput cōsignabo narratione historiæ, superiori non absimili, & petitæ ex vita Caroli Magni, qui Sacellano cuidam Episcopatum, quem

quem dederat, ademit, & alteri attribuit. Caussam dabit ipsamet historia, quam licet interpolatam referam Scriptoris verbis, & facit in rem, de qua hoc capite egimus: *Erat*, ait Sangallensis [a], *quidam Clericus in comitatu Regis vilis, & abiectus, & scientia litterarum non satis instructus, quem iustus piissimus Carolus paupertati eius compassus, licet omnes eum odio haberent, & expellere niterentur, nunquam tamen persuaderi poterat, ut ipse illum abijceret, vel a conspectu suo removeret. Accidit autem ut in vigilia S. Martini quidam Episcopus Imperatori nunciaretur defunctus, qui vocavit ad se unum de Clericis suis nobilitate & doctrina non mediocriter praeditum, & dedit ipsi Episcopatum ipsum, qui laetitia resolutus convocavit ad mansionem suam multos de Palatinis, plurimos etiam de Parochia illa venientes ad se cum grandi fastu suscepit, & cunctis permagnifice fecit parari convivium. Dapibus ergo pragravatus, mero ingurgitatus, vinoq; sepultus nocte illa sanctissima ad nocturnas vigilias venire neglexit. Fuit autem consuetudo, ut Magister scholae designaret pridie singulis quod responsorium cantare deberent in nocte; Huic autem, qui Episcopatum iam in manu tenebat, responsorium*, Domine si populo tuo sum necessarius, *erat iniunctum. Cum ergo defuisset, & non cantret, & Imperator alium canere iussisset, Humilis ille excepit iussa Regis.* Sed post alia quae contigêre in ea nocte, & ob eam rem prosequitur is Auctor:

De-

a Monach. Sang. lib. 1. vita Carol. M. cap. 5.

*Demum Imperator sic pronũciavit. Superbus ille, qui nec Deum, nec præcipuum eius amicũ timuit vel honoravit, ut se vel unam noctem à luxuria refrænaret, quatenus responsorium quod sicut audio cantare debuit, saltem incipere occurrisset, divino & meo iudicio careat Episcopatu: & tu illum Deo donante, & me concedente iuxta Canonicam & Apostolicam auctoritatem regere curato.* Rigidior quàm par est alicui videbitur, Carolus, qui virum & nobilem, & litteratum eâ ignominiâ notavit, ut de gradu deiecerit quasi desidem, & quòd neglexerit adesse precibus matutinis, & munus iniũctum nõ obierit. Sed non existimo bonũ Imperatorem hac tantùm causâ motum: aversatus est in Præsule iam designato ingluviem, & voracitatem. Cùm enim se vino, & cibis intemperanter ingurgitasset, nõ tam punijt negligẽtiam, quàm causam negligentię, vel utrumque. Idem factum, sed detruncatum (cùm in eo fideliter relato multa insint, quæ parum Catholicis molestiam exhibeant) transcripsit in Annales [a] Boiorum Auctor dãnatus. Tantũ enim habet; quendã pridie feriatũ D. Martini designatum Episcopũ, quòd is auctus tantâ dignitate amicis cœnam exhibens, & uti fit, mero sese nimiũ onerans, somno deinde oppressus noctu divinis rebus nõ interfuisset, rursus Sacerdotio à Carolo motum, intolerabilem, negligentissimumque fore ratus; qui primo die sibi, nõ tempe-

[a] *Annal. Boiorum lib. 4.*

peraret, ut sui compos Deũ ad iracundiam nõ provocaret. Præterit tamen quod ex alia narratione elicimus de Ecclesiastica psalmodia, deque auctoritate Pontificia, cui Carolus tantum defert suo ore. Neque historiam fert acceptam Scriptori, quem laudavimus.

## NOTÆ.

Pro Capella Aulæ Hispanæ.

9 *ANtiquum munus Capellani Aulæ Hispanæ ad Dominicanam familiam delatum. 10. Horarias preces cum Rege recitabat. 11. Munera hodierna. 12. Rex sui Capellani paræcianus. 13. Regum privilegium eligendi sibi Confessarium. 14. Rex Capellano debet decimas personales. 15. Rex secluso privilegio cui debere peccata confiteri. 16. Sacellani adiuvant Antistites sacris operantes Pontificali apparatu: ab ijs convivio excepti. Religiosa convivia in Ecclesia Catholica quam antiqua: Agapæ dicta. De ijs Concilia Gangrense & Laodicenum. 17. Cultus Domus Austriacæ erga sacrã Synaxim. 18. Celebriores dies festis quos Rex Catholicus concelebrat: Item statæ, & solemnis cæremoniæ.*

9 Offi-

9 OFFICIUM, seu munus Sacerdotum Aulicorum, qui his temporibus in Hispania sacris operātur diversus est, licèt in paucis, ab eo quod antiquitus in eadem domo Regia obiere. Ex lege [a] enim Hispana, & suprà adductâ duo praecipua observavimus. Primum & praecipuum fuit munus Confessarij Regij. erat enim in more positum, ut è Capellanis quispiam in sacra exomologesi Regum noxas expiaret, quod munus proculdubio is Sacellanus exercuit, qui Regi erat assiduus (*qui residentiam continuam cum Rege facit*) ait Gregorius [b] Lupus postquàm diversum eum agnovit à summo Capellano. Vnde est *factum*, ut eadem lex voluerit & descripserit Capellanum quàm fidissimum; utpote cui intima pectoris consilia Rex arcanò aperiret. Non paucis verò ab hinc annis mos iste exolevit; & alius obtinuit, ut Regum Hispanorum confessarios ageret Religiosi coenobitae, qui illustrissimae Divi Dominici familiae dant nomen. Quem morem Regum Castellanorũ esse vetustissimum testatus est ijsdem Henricus [c] Secundus. Nam morti proximus eius ordinis Cõfessario conscientiae crimina aperuit; ab eodem corpus Dominicum suscepit, sacroque oleo est inunctus. Imò eodem temporis articulo est professus sese aliquando detexisse quidem animi vulnera viro Religioso Frãciscanae familię;

a *l. 3. tit. 9. par. 2.*

b *Greg. Lup. ibidem.*

c *Chronicon c Hēr. II. cap. ult. Mariana de rebus Hispan. lib. 18. cap. 2.*

verùm id contigiſſe cum ſolo Comitis titulo eſſet inſignitus, nondum ad Regni ſolium evectus. Hunc locum debeo V.D. Alphonſo Ramirez de Prado in Conventu Hiſpalenſi fiſci Patrono. Moderatur hodie Regiam & Catholicam conſcientiã Illuſtr. & Rever. P.F. Antonius de Sotomaior: qui præterea Cõſiliarius Status & Belli, Cruciatæ generalis Cõmiſſarius, Quæſitor fidei in ſupremo Senatu, Abbas, &c. tot ſuſtinet ſolus negotia, ut ſit ſupra fidem; ſed cùm Dei gloriæ, Regis cõmodo, Reiq; publicę ſaluti inſudet dies, noctesque continuatis laboribus, cæleſtem opẽ experitur. Munera quæ obijt in Dominicana familia, Academicos & litterarios honores declarat munus iſtud Regij Confeſſarij, ad quod fuit ſelectus in tanta eligendi facultate, quantam ſuppeditabat Regibus Catholicis Religioſus Ordo D. Dominici, qui illuſtrium virorum ferax nunquam viſus eſt ſterileſcere. Neque immeritò Reges Hiſpani ex ijs ſibi ſeligunt Confeſſarios, cùm ſint alumni eius Sancti, qui non modò Hiſpaniam ipſam, in qua eſt ortus, ſed Orbem illuſtravit univerſum. Quippè ex illius Religioſo cœtu innumerabiles tanquam ex equo Troiano viri prodiere, quâ doctrinâ conſpicui, quâ ſanctitate illuſtres.

10 Alterum munus quod obijt Sacellanus Palatinus & quotidiano Regis miniſterio deſi-

gnatus illud fuit, ut horarias preces, vel coram Rege ad Deum funderet, vel Regem easdem recitantem adiuvaret. Liquet illud primum ex lege toties adducta, cuius ea sunt verba dum loquitur de Sacellano Regio: *Que anda* (el Capellan) *con el* (Rei) *quotidianamente, è le reza las horas cada dia*. Quod non est credibile publicè, & in odęo effecisse, sed privatim, & corā Rege. Item cùm paulò antè de summo Sacellano lex verba fecisset, & hæc alia de Sacellano in Aula assiduo subiecisset, planissimè constat illud munus Regem adiuvandi ad recitationem sacrarum precum, istius non alterius munus fuisse. Atque homini de hac re dubitanti omnem scrupulum adimet Glossema Gregorij Lupi, seu Breviarum eiusdem legis, ut suprà innui: qui apertissimis verbis distinguit summum Sacellanum ab alio, qui Regi continenter adhærebat; licèt ambigam, an isti respondeat, qui hodie in hac Aula solet Regi in orbem inservire, id est sacra facere. Quamvis in Lusitania Regem in horarijs precibus recitandis summus ipse Sacellanus adiuvasset, ut mihi eius Regni incolæ, & Aulicorum morum periti enarrarunt.

11 Munera verò, & officia quæ hodiernis temporibus exercent in Aula Hispana eiusdem Sacerdotes, quos vocamus Capellanos *de Honor*, seu *de Banco*, & distincti sunt ab alijs, qui

qui Capellani Cantores, seu *de Altar* nuncupātur, hæc sunt potissima. Quoties in Festis & Dominicis anni diebus Rex sacris operatur in publico Sacello, & principali apparatu, toties adesse ibidem debent (nisi velint suo muneri non respondere) superinduti supparum lineum, id est vestes illas itidem lineas, quas superpelliceas vocamus; & caput operti quadrato & nigro tegumēto, quod etiam dicimus berettum. Missæ sacrificium peragunt per hebdomadas, & in orbē; sed in privatis domus Regiæ sacrarijs, & præsente Rege, vel ijs tantū qui sunt de cognatione Regia. ijsdem comedētibus qui sacrum fecere adstare solent, & cibis benedicere; remotisque mensis agere gratias Deo bonorū largitori. Regum itinera, & expeditiones sequūtur quotquot ad id fuerint designati à summo Sacellano. Eâ occasione ubicunque gentiū fuerint tum ipse Aulæ Antistes, cùm ipsimet Aulici Sacerdotes Sacramēta cōficere & ministrare possunt absque Episcopi diœcesanj venia.

12 Quæ res prçterquā quòd diplomate novissimo Pauli V. est confirmata, agnoverat idē privilegium lex Hispana; in qua Rex ipse ubicunque locorum moretur, sui Sacellani paræcianū se fatetur: *A assi como*, inquit lex, *los otros lo son de aquellos de quien los* (Sacramentos) *reciben; otro si, lo es el Rei de su Capellan, pues que dèl lo recibe por do quier que vaya.* *l. 3. tit. 9. part. 2.*

13 Vtuntur hoc privilegio Reges universi, quo innixi possunt quem voluerint sibi eligere Confessariũ. Id advertit Gregorius [a] Lupus, & est mutuatus ab Abbate [b] Panormitano.

14 Hinc aliud observant, deberi à [c] Rege Capellano personales decimas, quòd sit eiusdẽ paræcianus.

15 Quòd si privilegium illud abrogaretur, Rex [d] illi Parocho deberet sua peccata cõfiteri, intra cuius Parochiæ fines sita esset domus Regia, quã rẽ neq; cõtraria cõsuetudo impediret. Adhæc Capellani efferunt & comitantur Regia funera, atque in eũdo eum locum obtinent, qui proximus est Regio cadaveri.

16 Præterea adiuvant Præsules, qui solemnioribus festis diebus rem divinam faciunt Põtificali apparatu, vel in publico Aulæ Sacello, vel in alia æde sacrata, sed præsente, vel iubente Rege. Quo verò die Antistiti sacris operãti inserviere, excipiuntur ab eodẽ religiosis epulis, vel quopiam munusculo donantur; scilicet more vetustissimo, & ducto ab incunabulis veteris Ecclesiæ. In qua fideles Christiani post mentẽ spiritali pabulo refectã, corpora aliquã tisper procurabãt. Quamvis inde originẽ habuerit, quòd Gẽtiles nostram fidem recens amplexi nõ illico adduci potuerunt ad perfectam Christianæ fidei normam. Vnde qui tunc erãt populi Pastores, aliquã indulgentiã usi sunt.

Sic

a Greg. Lup. l. 3 titul. 2. par. 9.
b Abb. in c. omnes Principes, de maior. & obed.
c Iuxta Glos. in c. Apostol. de decimis.
d Hostiens in summ tit de pœnit & remis. § cui cõfitẽdũ, verb. Cui Rex.

Sic morem istum non improbarunt quatuor Gregorij: Nissenus, Thaumaturgus, Magnus, & Nazianzenus. Primus [a] enim refert de secundo permisisse eũ, ut Neocæsarienses in memoriam sanctorum Martyrũ se se oblectarent, & in lętitiam effunderent. Magnus etiã [b] Gregorius simile quid non improbat; ut etiã Christi fideles die natalitio sanctorum Martyrum: *Tabernacula sibi circa easdem Ecclesias; quæ ex fanis commutata sunt de ramis arborum faciant, & religiosis conviviјs solemnitatem celebrent.* Nazianzenus [c] verò alludens ad versiculum Psalmi, qui (ut est in Vulgata editione) habet: *In voce exultationis & confessionis sonus epulantis*, aliter legit, & ex mente Septuaginta Interpretum, & Aquilæ ἑορτάζοντος, id est festum agẽtis, seu epulantis, ut exponit [d] Nicetas quasi verò semper cum epulo esset festum coniungendum. Sed mos iste quoties modum est prætergressus censuram subijt aliquorum. Non modò Iuliani, qui in Misopogone perstringit Antiochenos, qui cùm effutè & licenter comessarentur, id liberiùs in festis præstarent, sed [e] Chrysostomi; qui de ijsdem, & eâdẽ causâ graviter est conquestus. Atque olim in eundem intemperantię scopolum impegere religiosi quidam viri. Etenim Amyda urbs à [f] Cabade Persarũ Rege ea parte fuit capta, quã turris extabat Monachorum custodiæ concredita; sed cùm

a Greg. Niss. in vita Thaumaturg.

b D. Gregor. epist. 31. lib. 9.

c Nazianz. orat. 3.

d Nicet. in eand. orat. num. 34.

e Chrysost. homil. in S. Iulian. mart.

f Procop. lib. 1. de bello Persico.

illi pridie celebrato festo lautioribus epulis excepti gravius stertèrent, Persæ occupata turri omnes obtruncant, urbemque ipsam ingrediuntur. Verùm ea religiosa & modestè celebrata convivia Agapas antiquitus vocarunt; in quæ Tertullianus (sed lapsus in errores Mōtani, & Catholicæ [a] fidei desertor) illa evomuit nimis immodesta: *Agape in caccabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet.* Sed de ijsdem meminere Concilia [b] Gangrense & Laodicenum, & ne modum excederent moderationem adhibuere. Solebat enim accidere, ut convivæ parum verecundi non contēti edere, quod erat satis superque, fercula è mensis auferrēt, & domum asportarent: Quam voracitatem detestata est in primis Synodus Laodicena, de qua re decrevit: *Quod nō oporteat eos ad Agagas vocatos partes, hoc est cibos tollere; eò quòd ignominia inuratur Ordini Sacerdotali.* In quem Canonem præter cætera hæc habet Ioannes [c] Zonara: *Ne igitur sacro Ordine initiatis, Clero q; adscriptis, imò verò nec laicis partes tollere, hoc est ex appositis epulis particulas auferre, domumq; nō sine aliqua Ecclesiastici Ordinis ignominia asportare liceat, Canon decernit. Est id namq; hominis abdomini dediti, atque improbi argumentum,* [d] quod neque sine scrupulo animi potest agi: cùm convivæ ciborum usum habeant, non dominium. Sanctus [e] Remigius Rhemorū Archiepiscopus inter cætera supremis

a Tertul. lib. de ieiun. adversus Psich.

b Concil. Gāgr. can. 12. Laodicen. can. 27. 28.

c Ioann Zonara in can. 27. cit.

d Malder. de iust. & iur. tract. 1. cap. 3. dubit. 4. §. 3.

e Apud Brisson. de formulis, & Auber tū. Mereum Cod. Donpiar. cap. 1.

mis testamenti tabulis legata iubet, ut expensis nepotis cuiusdam, cui vineam reliquerat: *Laudunensibus Presbyteris, atque Diaconibus annua conuivia præbeantur*, ut sunt testamenti verba. Quo etiam possumus referre longum & diuturnum usum apud Catholicos in solemnioribus festis mittendi sibi mutuò, seu panem, seu placentã, quas *eulogias* vocabant. In quo etiã more si quid peccaretur, emendavit [a] Concilium Laodicenum. Sed hæc obiter, & pro studiosis antiquitatis Ecclesiasticæ. a *Cõcil. Laodic. cap. 14.*

17. Domus Austriaca familiæ diuturnitatem, & Imperij amplitudinem (quæ duo nulla hactenus Regum prosapia simul coniunxit, & tandiu retinuit) acceptam refert mente gratissima Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, quod usque ab incunabulis suæ magnitudinis est venerata singulari quodam cultu. Vnde Reges nostri in dies testatam volunt hanc religiosam observantiam, publicisque documẽtis: ita more maiorum, & quolibet mense quintam Feriam, & Sabbathum unius hebdomadę huic cultui impendunt. In publico Aulæ Sacello, & matutinis oris ara decenter ornatur, in qua sanctissimum crustulum exponitur oculis corporeis visendum, animi luminibus adorandũ, Sacellani Psalmos pœnitentię Dividicæ alternis vicibus recitãt præsente Rege intra ligneos cancellos. Solemni ritu peragitur Missæ sa-

crificium; quo peracto sacra Synaxis per Sacelli ambitum circumfertur subter aureũ uraniscum, deferentibus argenteas hastas ipsismet Sacellanis, & prosequentibus viris illustribus Palatinis. Sacellani qui intersunt annonam diurnam percipiunt, quam dicimus distributionẽ quotidianã, in cuius rei usum adservatur, quicquid pecuniæ cogitur, & infertur in ærarium Sacelli. Sed hæc hactenus de officijs: pergamus ad beneficia, quæ illa consequuntur.

18 Sed acturus sum etiam rem gratam ijs, qui ad Aulam Hispanam non accessere; si brevibus recensuero præcipuos dies festos, & statas, solemnesque cæremonias, quibus Rex Catholicus insigne specimen Catholicæ pietatis solet exhibere. Atque primùm patefaciã Regis maximi Religionem, & erga Ordinem sacratum observantiam. Prætereo quòd nemini, qui sit Sacerdotio initiatus permittat manum deosculandam, quod subditi in subiectionis, & reverentiæ signum efficiunt, imò honoris loco ducunt. Illud generatim annoto, Regem Catholicum in publico Sacello, publicisque actionibus semper primas concedere Collegio Ecclesiastico Palatino. Ita cereum in festo Purificationis, palmam in palmaribus, cinerem ineũte ieiunio Quadragesimũm dierum, non nisi post omnes Sacellanos Aulicos, & minores Clericos, qui Sacello inserviunt, accipe-

re

re consuevit. Itidem in Parasceve, die dicato orbi redempto, postquàm Antistes, qui sacris operatur, & cæteri Sacerdotes Palatini oscula dedere sanctissimæ Cruci; tunc demũ Rex ipse Catholicus salutare lignum genuflexus adorat progrediens ad aræ gradus. Licet Crux ipsa, quam illi sunt deosculati, invertatur: & sublato operculo frustulum vivificæ arboris appareat, quod deosculatur: sed ad alia.

In pervigilio Natalis Dominici, & Epiphaniæ matutinis precibus, quæ noctu modis musicis decantantur, interesse consuevit; sed intra ligneos cancellos. Quo festo die trium Regum sacrum peragit solemni ritu, & Pontificali apparatu Antistes ex insignioribus, qui in Aula degunt (vel Nuncius Apostolicus, vel summus Sacellanus) sed ante oblatam hostiã Rex è cortinis Regijs ad arã procedit, ibique flexis genibus tres calices argẽteos deauratos, affabrè factos, sigillis & emblematis aureis distinctos offert Antistiti sacris operanti; qui ad Regem conversus utraque manu, & è superiore parte patenam tenet, eamque dat deosculandam, postquàm efformata cruce, Regi pro oblato munere temporario perpetuam salutem, & affluentem rerum copiam est à Deo precatus & pollicitus in ea verba: *Centuplum accipies, & vitam æternam possidebis.* Calices verò ob festi mysterium continent, primus frustulum auri,

ri, alter grana thuris, tertius parum myrrhę. qui deinde donantur pijs locis quemadmodum censuerit magnus Eleemosynarius: licet unum quotannis, & quasi iure suo sibi vendicet familia Hieronymiana, quæ incolit celeberrimum Cœnobium Laurentinum ex vicino oppidulo, dictum Escoriale.

Singulari quodam cultu, animique & corporis submissione peraguntur à Rege Catholico mysteria Hebdomadis maioris, maximè dies sacræ cœnę Domini. Etenim post peracta in publico Sacello, & eo cultu quem diem decet officia divina; inde itur ad amplissimā Aulam, vicinam Regijs cubiculis (ob opportunitatem loci capacioris) præcedente sacra supplicatione, & viris Palatinis, ipsoque Rege subsequente cum Legatis Principum. Vbi ad locum est deventum decātatur Evangeliū Ioannis xiij. *Ante diem festum*. Et simul atque ea verba de Iesu audiuntur *ponit vestimenta*; Rex ensem & pallium deponit. Ad alia eiusdem sacræ lectionis, *cum accepisset linteum*, Rex etiam linteo præcingitur; atque genuflexus progrediens duodenum pauperum pedes licet anteà lotos, adhuc tamen abstergit, & ijsdem pollicem & indicem in modum crucis decussatos superimponit, itaque admotos deosculatur. Quæ cæremonia peragitur magno, & religioso astantium horrore, qui cernunt Maiestatem

Re-

Regiam, quâ in terris non est maior, ad pedes adinuentionum prouolutam. Hoc peracto ad mensas progreditur, quæ ibidem Regio apparatu conspiciuntur, ipsos pauperes vestibus & numis anteà donatos, cibis appositis participat; manu propriâ singulis singula fercula dispertiens. Iisdem conceduntur omnia mensæ utensilia cultrum, cochlear, mappæ, patinæ, vascula, & alia. Ciborum tanta est copia, ut pauper quisque à tergo habeat cistâ capaciorem ad eos reponendos, & adsportandos: quibus divenditis bonam pecuniæ summam conflare solet.

Subsequente die, quo se pro nobis Christus Dominus in cruce tradidit, quæ est Parasceves in Sacello publico nullus conspicitur Regius apparatus. Omnia præferunt diei mœrorem. Deducuntur enim Regiæ cortinæ, ne tapetum quidem Regijs pedibus substernitur; vix pulvinar nigrum est genibus suppositum. In nudo & ligneo scamno Rex se reclinat; in summa nullus fastus. Quod præcipuè eodem die spectatur, illud est. Postquam Rex sacrosanctam Crucem adoravit adhuc flexus genibus ante eandem reis quibusdam delictorum gratias facit, à quibus tamen solùm fisci Advocatus exigit vindictam. Pro ijsdem verò intercedit summus Sacellanus deponens ante Regem criminum tabulas (processus vocant Forenses, Latini

tini quæstiones) institâ sericâ obligatos.

Sed diem, quem augustissimo ritu Eucharistiæ anniversarium sactum percolimus, præcipuo & exquisito cultu Rex Catholicus concelebrat. Nam è Regia ad Templum D. Mariæ se confert: unde initur universa supplicatio postquam Antistes rem divinam fecit pompâ apparatissimâ. Præter sodalitates pias, & religiosos ordines præcedunt victimam sacrosanctam Senatores omnes Regij. Consiliũ, quod dicunt Cruciatæ, Ordinum Equestrium, Regij Aerarij, Italicum (Lusitanum non adest, ne isti de loco cedat) Aragonicum, Quæsitorum fidei, & Castellanum. Sacram Synaxim deferunt Sacerdotes induti veste, ornatuque sacrificantium, & sub umbella candida holoserica, auro pretexta: cuius argenteæ hastæ deferũtur à Sacellanis Palatinis, sed tantùm ab ara maxima, seu pastophorio ad fores templi: quo loco deferendas tradunt oppidi Decurionibus (Regitores dico) recepturi easdẽ ubi dederant. Prosequitur Antistes Pontificali apparatu, quo fuit sacris operatus; & è Capellanis Regijs quotquot eundem adiuvarunt cappis induti. Ad utrumque latus subsequuntur Maiores domus Regiæ, tum Hispaniæ Magnates, demum Regij sanguinis soboles parum antecedens. Regem ipsum Catholicum, qui in ea solemni transvectione Corporis Augustissimi non tam

Rex,

Rex, quàm pietatis signifer conspicitur. Etenim toto, nec exiguo supplicationis spatio (durat duas integras horas) funale accensum manu gestans nudo vertice visitur in calore æstivo solis meridiani, quem ægrè prohibent suspensa linea vela. Regis latus ferè claudunt (vel parum distant) si qui adsunt Patres purpurati sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. subsequuntur Legati Principum, summus Sacellanus, Status Consiliarij, Cubicularij: claudunt omnes supplicationem milites prętoriani Burgundiones. Neque hîc sistit religio Regis Catholici erga sacrâ Synaxim. Nam in eiusdem festi octodialibus bis denuo festum augustissimum cōcelebrat. Primùm feriâ quartâ in Cœnobio Regio puellarum Deo dicatarum, quod domui item Regiæ contiguum dicatur Beatæ Virgini ab Angelo salutatæ. post preces vespertinas initur supplicatio, & transvehitur victima sacrosancta in ambitum Templi præcedente universâ familiâ Palatinâ, cuius propria censetur ea solemnitas; adest Rex eâdem pompâ, quam suprà descripsimus; si demas Religiosos Ordines & Senatores. Deinde subsequente die, qui est octavus festi in altero Cœnobio, item Regio, & in quo degunt virgines sanctissimæ Regij sanguinis, & Christo consecratæ, à nudis pedibus *Discalceatas* dicimus, eundem cultū exhibet Rex Catholicus:

tantùm non adſunt Legati Principum. Quæ his diebus viſantur ſuſpenſa periſtromata, conchyliata tapetia, è pergulis, è podijs, collucentium facium multitudinem, & alia ſplendoris plena facilè diiudicat, qui reputat cum ſuo animo, hæc peragi in Aula Hiſpana.

Conſuevit etiam Rex maximus tanquam Dux Burgũdiæ, & aurei Velleris ſummus Pręfectus ſolemne feſtum Andreæ Apoſtoli celebrare: in cuius Divi patrocinio is Ordo ſplẽdidiſsimus fuit inſtitutus, & quem domus Burgundica habuit Tutelarem. In pervigilio Rex Catholicus veſpertinis horis, quæ in publico Aulę Sacello modis muſicis decantantur, pręſens adeſt, ſed deductis Regijs cortinis. milites ipſi aurei Velleris operti capita conſident in ſcamno, in quo aſsidere ſolent cæteris diebus Hiſpaniæ Magnates, qui eo die non interſunt: hos excipiunt Cancellarius & Secretarius eiuſdem Ordinis, ſed in ſcamno diſtincto: aſsidentes etiam caput contegunt. Cùm matutinis horis ſacrum eſt peragendum Pontificali apparatu, Rex Sacellum intrat, quem parum antecedunt Fœciales (vulgò Reges armorum) qui deinde ſe ſiſtunt paulò ſupra Regias cortinas. In ſacro, quod peragit ſolemni ritu Antiſtes aliquis è primarijs, qui in Aula degunt, illud eſt notandum; poſt oblatam hoſtiam Rex ad aræ gradus progreſſus, & genu flexus Antiſtiti

offert

offert numum aureum. Idem efficiunt cæteri commilitones aurei Velleris, suo ordine, quem antiquitas demonstrat (ut & in sessione) necnõ Cancellarius & Secretarius: ad suas quisque sedes deinde revertitur.

Demum non silebo, quòd Rex maximus omnium Religiosorum Ordinum templa eo die suâ præsentiâ condecorat, quem diem sacrum Parenti, & Conditori celebrant. Si modò exceperis Societatẽ IESV, quæ hoc genus honorificentiæ sibi vẽdicat Kalendis Ianuarij.

# DE BENEFICIIS Regijs.

## CAPVT VII.

1 *REGVM beneficia in suos Sacellanos. 2. Proclamatio Caroli Calvi in eam rem. Mos iurandi in ingressu honoris. 3. Regum veterum capellæ, Antistitum seminaria. 4. Concilium Valentinum quas adhibuerit restrictiones. 5. Puellæ nubiles, & Ecclesiæ viduæ adsimiles. 6. Regia nominatio in Hispanijs, & Gallijs quàm antiqua. 7. Aulicorum & Capellanorum potior*

*ratio*

*ratio quatenus habenda. 8. Mos Principum evehendi Capellanos ad summa Sacerdotia quàm vetustus, & diffusus in Aula Germanica. 9. Bohemica. 10. Anglica. 11. Constantinopolitana veteri. Qua industria Ioãnes quidam in ea Sacellanus factus Patriarcha? 12. Contentio inter Carolum M. & uxorem pro alterius designatione. 13. Reges ægrè ferunt suos Sacellanos ipsis inscijs, vel nolentibus factos Episcopos. 14. Aviditas & ambitio Clericorum Aulæ à quibus notata. 15. Ærarium Sacelli Palatini.*

1 CUM Sacellani Regum in ea, quam hactenus observavimus, dignitate Palatina fuerint constituti; consequens fuit, ut summa & opîma Sacerdotia, & nõ vulgaria liberalitatis Regiæ beneficia gradum illum consequerentur. Etenim post exactos in Aula aliquot annos, post consumptam nõ exiguæ pecuniæ summam (quis in Aulis Regum diu sufficiat laboribus, & expensis?) rationi fuit consentaneum, ut repeterent lares domesticos tum opimis Regij muneris beneficijs locupletati,

tati, cùm summa aliqua dignitate insigniti. Ita postulabat gradus ipse, sive ordo, cui fuerant adscripti, dum in Aula degerent. Ita etiam Reges ipsi faciebant satis (quod sano modo est interpretandum, ut posteriùs dicemus) expensis, quas ut splendidè viverent, subierunt. Atqui *ex claritate servientium crescit fama dominorū*, ait Auctor [a] in Aulis versatissimus.

*a Cassiod. lib. 4. epist. 3.*

2 Quòd si quis velit expressam intueri magnorum Principum liberalitatem verè Regiam in suos Sacellanos, adeat [b] Concilium Tullense, cuius alibi meminimus. In ea Synodo Carolus Calvus Rex, ut Venilonem Archiepiscopum Senonensem, Regiorum beneficiorum parum memorē, ingrati animi argueret; porrecto manu propriâ accusatorio libello ad Episcopos, qui convenerant ad Venilonis causam diiudicandam, & eundem, ut res tulit, exauctorandum, hæc præter alia indignabundus eloquitur: *In qua parte Regni vacabat tūc Metropolis Senonum, quam iuxta consuetudinem prædecessorum meorum Regū Venilonī tunc Clerico meo in capella mea mihi servienti, qui more liberi Clerici se mihi commendaverat, & Sacramento fidelitatem promiserat, consensu sacrorum Episcoporum ipsius Metropolis ad gubernandum commisi.* Hîc obiter observa Capellanos, cùm primùm Regio sacello nomen dabant, solitos iurare, id est fidā operā suis Regibus promittere. Quòd Sacra

*b Concil. Tullēs. ann. 839. sub Nicolao I tom. 3. Concil. par. 1.*

mentum Reges præstandum curavere nō modò, ut illi suo munere ritè & ordine, & cùm opus esset fungerentur; verùm ut fidem suam obstringerent, iurarentque se se Regem nunquam defecturos. Cùm tanquam Clerici ædis Palatinæ Sacerdotijs opîmis, & præfecturis Ecclesiasticis donarentur; quibus fulti interdum Regibus negotium facessere solebant. Deinde debemus adnotare, quod facit in rem nostram, morem illum evehendi Capellanos ad summas dignitates, & consuetudinem Regum, qui Carolum Calvum præcessere: quorum nominē non solùm comprehendo Carolevingios, sed etiam Merovingios. Morem enim non absimilem ornandi Aulicos Sacerdotes summis honoribus repetere possumus absque controversia usque ab antiquissimis temporibus: nempè ab anno Christi 500. & in eadem Regum Francorum Aula. Etenim Clodoveus Aptonium suum Sacellanum Angolismensem Episcopum designavit, ut refert Auctor [a] valde doctus ex manuscripto, quod ipse legit, & cui erat titulus: *Gesta Episcoporum & Comitum Angolismensium.*

[a] *Rhenat. Chopp. lib. 3. de sacra Polit. tit. 4. nu. 11.*

3 Libentiores Reges consequentes ex altera Francorum Regum prole, imprimis Carolus M. & Ludovicus, & Reges posteri suos Sacellanos summis, & opîmis Sacerdotijs ornarūt. Certè ipse Carolus disertis verbis hoc promi-

misit studiosis illis adolescentibus, quos cōperit in re litteraria maximos processus effecisse: E quibus unum allegit inter Aulæ Sacellanos; & quem deinde Præsulem designavit, licèt cōtrà annitente Reginâ, ut mox dicemus. Verba autem Caroli ea [a] fuere, *Dabo vobis Episcopia, & Monasteria magnifica*. Hinc est factum, ut iisdem temporibus, & in eadem Aula Sacellum Regium verè censeretur Antistitū, & magnorum Præsulum Seminarium. Quam rem nobis ob oculos ponit [b] Lupus Abbas Ferrariensis scribens ad Amulium Episcopum, qui morem illum fortasse ægrè ferebat: *Id vestræ prudentiæ* (loquitur Regis nomine, cui erat à consilijs, & ab epistolis) *dominus noster Carolus iussit suggerere; non esse novitium, aut temerariū; quod ex Palatio maximè honorabilioribus Ecclesijs procuret Antistites*. En quibus opibus, & honoribus aucti ab Regibus illis Aulæ Sacellani missionem impetrabant! ait quippè Auctor iste, non infimis, sed insignioribus Ecclesijs desponderi solitos. Idem Abbas, & eâdem epistolâ cuiusdam Sacellani Palatini inaugurationem petit nomine Regis antedicti: *Godelsadum etiam, quem ex Palatio suo, more predecessorum Regum maiorum, ut antè monstratum est, Cabilonensi præfici Ecclesiæ flagitat idem Rex, in hac quadragesima non gravemini ordinare*. Sunt eisdem verba.

a Sāgall. lib. 1. vit. Carol. M. cap. 4.

b Lup. Ferrar. epist. 81.

4 Qui mos, & consuetudo si Præsulibus aliquando displicuit, nec sine contradictione viguit; certè processu temporis libenter illam comprobarunt. Cùm enim Episcopi universi, qui Valentinum Concilium celebrarunt, extorquere vellent à suis Regibus Antistitū electionem, seu designationem, & Clero & Populo iterum restituere; ut fuit antiqua, & nota consuetudo in Ecclesia Catholica; cùm, inquā, hoc Regibus proponerent, excepere tamen nō comprehendi hac suâ petitione casum illum, si aliquando scilicet vellent Reges suos Sacellanos Episcopos designare; dignos cæterà, & ijs dotibus instructos, quas in cādidato sacræ præfecturæ Canones Pontificij requirunt. Imprimis enim non arridebat illis is Aulicus Sacerdos, cui vita, moresque non benè olerent, item qui vanus seu levis, qui cupidus, qui illitteratus, qui simoniacus audiret. Non mea hæc sunt, sed eiusdem Synodi. Quę proinde monuit Metropolitanum (cuius censuræ, seu examini Regis candidatus, & Sacellanus erat subijciēdus) ne inauguraret hominem, licèt ab Aula veniret, quem reperiret obstrictum aliquo crimine ex enumeratis. Sed præstat audire ipsos Episcopos loquentes, & in eo sacro Conventu. Nam ubi decreverūt petendum abs Rege hoc quod præmisimus [a] subijciūt: *Sed & si à servitio Pij Principis nostri aliquis Clericorū venerit,*

[a] *Concil. Valent. in Viennensi prima habitum anno 855. to. 3. Concil. p. 1. cap. 7.*

ut

*alicui Civitati proponatur Episcopus, timore cã-o sollicitè examinetur. Primùm cuius vita sit; de-de cuius scientia; ne maculata vita, & pompis se-li turgidus, (t) simoniacâ hæresi pollutus. Nec æsumat* ( Metropolitanum alloquitur ) *illit-ratum, aut cupiditate nimia cæcatum rediturus cti sui rationem, populo Dei præficere.* Quòd Sacellanus à Rege designatus iudicio Me-opolitani; cui ea cura incumbebat, parum ignus censebatur, qui ad sacram præfectu-am eveheretur; decernunt Episcopi in eadem ynodo congregati, non è vestigio repellen-um, & cùm ignominia; sed Regem ipsum cõ-slendum, & ut alium designet, deprecandum; æc sunt verba eorundem, & plena humani-atis, summæque adversus Reges observantiæ. *i necessarium idem Metropolitanus viderit, ne intum malum cogatur agere, ut indebito honorem itus tantum debitum tradat, instruat populum, in-rmet Clerum, potius adire clementiam imperialẽ, r ipse cũ Coepiscopis quibus valuerit modis, adeat, t Ecclesiam Dei gloriosus Imperator digno honoret inistro.*

5 Rectè cùm Ecclesiæ ipsæ, dum sunt vi-uæ, etiam in hac parte sint simillimæ puel-is; quæ licèt nubiles, attamen verecundiâ præpeditæ nequaquam audent sponsos pete-e ex animi sententia: ijs contentæ sunt, quos ederint parentes: *Non est virginalis pudoris*

*eligere maritum*, ait [a] Ambrosius loquens de Rebecca, quæ non de nuptijs, sed de profectionis die est consulta. ex quo loco sanctorum Bibliorum censuit desumptum illud [b] Euripidis in Andromacha. Νυμφευμάτων μὲν, τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμναν ἕξει: κ' οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε. *Sponsaliorum meorum pater meus curam subibit. Hoc enim non est meum.* Atque alius ex Ethnicis loquens de pulchro sponso adultis puellis seligendo: *Debet hoc*, inquit [c] *castitati puellarũ quasi præmium dari*. Ita plane quemadmodum parentes puellis, sic Patroni viduis Ecclesijs debent sponsos optimos conquirere. Alia essent quæ ex hoc loco Concilij Valentini possent observari, sed alij id efficiant.

6 Hic tantùm annoto, licèt etiam extra orbitam, Reges Galliæ antiquitus ius obtinuisse nominandi Antistites; Metropolitanos nominationem ratam habuisse: vel ut aliter dicam, Antistites à Rege designatos inaugurasse. similis fuit prærogativa Regum Gothorum in Hispania [d] (ius Regiæ nominationis iam usque ab ijs temporibus repetunt Hispaniarum Reges) Episcopos enim ipsi nominabant, & eosdem Archiepiscopus Toletanus, licèt suæ sedi minimè subiectos, singulari prærogativâ instituebat: licèt Episcopis Toletanæ Ecclesiæ non subditis, sed aliarum suffraganeis eam legem imponeret post inaugurationem, ut intra tri-

a *Ambr. lib. 1. de Patriarchis, 32. q. 2. Can. honorantur.*
b *Euripid. in Androm.*
c *Plin. Iun.*
d *Conc. Tol. 12. cap. 6. & Conc. Tolet. 16 epistol. Braulio. ad Isid. & Isidor. ad Braulion.*

trimestre spatium suis Metropolitanis se sisterent in subiectionis argumentum. Quæ omnia fuisse factitata auctoritate, & venia Pontificis Romani, cui Hispaniẽsis Ecclesia primas semper detulit, prudẽter autumat [a] Garsias Loaisa Sacelli Regij summus olim Sacellanus, & deinde Archiepiscopus Toletanus. a Garc. Loaisa in notis ad Concil. Tol. 12. cap. 16.

7 Ex hactenus dictis, & alijs, quæ paulò pòst dicemus, sunt nonnulli, qui contendũt, Aulicos & Regũ Sacellarios in contentione honorũ & collatione beneficiorũ esse cęteris præferẽdos. Quod ego tamen timidiùs asserere, & illud cõcedere in pari sciẽtia, prudẽtia, probitate, alijsque adiunctis, quæ postulat status rerũ, & conditio dignitatis cõferẽdæ. Secus verò nolo ego meo ordini, & meis sodalibus tam addictus videri, ut incidam in reprehensionem doctissimi cuiusdam viri; licèt parum æqui ordini Ecclesiasticorum; ijs præsertim, qui in Aulis degunt, & vitâ Aulicâ nituntur ad sacros honores: nisi tamen depravata temporum, de quibus loquitur, Aulæque, in qua vixit, conditio iustam illi ansam præbuissent nimis licenter loquendi, dum interea vult videri tacuisse: *Silendum est*, ait [b] ille, *ne sacrosanctam existimationem lædamus, qui augustam illam causiam, non vitâ sanctitate, non illæsa fama commendatione, non probabili aliquo consilio mereri; sed Aulici ambitus decennali servitute; sed amplissimi ordinis sugillatâ reverẽtiâ, &c.* b Budæus lib. de Asse, pag. 298.

Nec ſanè à vero longè abeſt,ſi quis contendat, vitâ ſolum Aulicâ reddi quempiam dignum, qui ad ſummos Eccleſiæ honores, alijs non inſtructus dotibus,conſcendat.

8 Sed revertor unde abij. Poſtquàm Imperium è Francis ad Saxones eſt translatũ quàm propensè ferrentur Germaniæ Imperatores in ſuos Sacellanos Aulicos elicimus ex vita ſancti Ottonis Bambergenſis Epiſcopi.deſcripſimus ſuprà non pauca,ſolũ addam teſtimonium Gulielmi Tyrij Archiepiſcopi,quòd cõfirmat morem illum Aulæ Imperatoriæ: *Henricus*, inquit ille, *Theutonicus Rex,& idẽ Romanorum Imperator à Divo Gregorio Papa VII. paſſus fuerat quæſtionem & controverſiam non modicam ſuper annulo Epiſcoporum defunctorum, & baculo; inoleverat enim conſuetudo præſertim in Imperio, quod defungentibus Eccleſiarum Prælatis annulus, & virga paſtoralis ad D. Imperatorem dirigebatur. Unde poſtmodum unum quemlibet de familiaribus & Capellanis ſuis inveſtiens ad Eccleſiam vocantem dirigebat, ut ibi Paſtoris fungeretur officio, non expectatâ Cleri electione*: hactenus [a] Gulielmus, & quid in ea re peccaretur,alibi adnotavimus. certè S.Otto Capellanus Hẽrici Quarti Imperatoris deſignatus Epiſcopus Bambergenſis noluit inaugurari niſi cõnſentiẽte Põtifice Romano, ut diximus in Anacephaleoſi eius vitæ. Sed ijs Germaniæ Regibus facem prætulerat

[a] *Guliel. Tyrius lib. 1. de bello ſacro, cap 13.*

Henricus in primis, S. Cunegundis maritus, & ipse etiam in Sanctorum numerũ relatus, Vngarorum Apostolus ex re dictus: unde sentio nihil in hac re deliquisse, ut posteri peccarunt. Is porrò Mersburgensi Ecclesiæ Vvigbertum Aulicum Sacellanum præfecit, & cum maximè eiusdem Ecclesiæ bono voluit consulere. Occasionem habes in [a] Ditmaro, in cuius Chronico legimus: *Henricus divinâ gratiâ antecessorum nævum suorum cupiens emendare, &c. dedit Episcopatum sanctæ Mersburgensis Ecclesiæ Capellano suimet, nomine Vvigberto.*

a Ditmar. in Chron lib 6. anno 1005.

9 Ea Regũ cõsuetudo suos Sacellanos opibus locupletãdi & honoribus augẽdi, quę viguit pręsertim in Aula Occidẽtis, ad alias processu tẽporis pervenit: aliosq; Principes excitavit, ut scilicet in suos Aulicos Sacerdotes ferrẽtur volũtate propẽsissimâ. Hinc enim in [b] Bohemia cõtroversia illa est exorta inter Principẽ Vlasdislaũ, & Pragense Collegiũ Canonicorũ ob electionẽ Danielis, qui Vlasdislai Sacellanus, ab eodem fuerat electus sive designatus Episcopus Pragẽsis. cùm tamen assererent Canonici electionem Antistitis esse suorum suffragiorum; vicit tamen Principis sentẽtia, effecitq; ut Daniel Aulæ Sacellanus inauguraretur: licèt præcesserit imaginaria quædam, & fictitia electio. Dubravius Olomucẽsis Episcopus hãc historiam refert, in ea quam scripsit de rebus Bohemicis.

b Dubravius Olomucens. lib. 14. hist. Bohem Rhenat. Chop de sacr. polit. lib. 1. titul. 2. num. 12.

10 In Aula Anglicana vetustissimis temporibus, dum coleret fidem Orthodoxam, & Romanæ sedi obtemperaret eundem morem ab historicis eius gentis video expressum: evehendi scilicet Capellanos ad summas Ecclesiæ præfecturas. Henricus [a] de Hovedẽ Turstinum memorat Regis Angli Capellanum, qui Eboracensis Archiepiscopus est creatus: *Turstinus*, ait ille, & alij Torstannum & Turstãnum vocant, *Regis Capellanus ad Eboracensem Archiepiscopatum die Assumptionis sanctæ Mariæ eligitur Vvintoniæ.* Sed licèt Ivo [b] Carnotẽsis videatur indicare eam electionem suffragijs Canonicorum factam; ait enim: *Elegit prætaxata Ecclesia* (Eboracensis) *venerabilem virum Turstinum in Archiepiscopum. qui quantum ad personam pertinet, continentis est vitæ, & honestæ famæ, & utilis quantum humana conscientia de alterius vita potest indicare sanctæ Dei Ecclesiæ.* Non tamen videtur inijcere hunc scrupulũ Matthæus [c] Paris: *Anno Domini M.CXIII.* ait iste, *Rex Henricus dedit Archiepiscopatum Cantuariensem Rodulpho Lõdoniensi Episcopo; & illum per anulum & baculum Pastoralem investivit. Obijt eodem anno Thomas Eboracensis Archiepiscopus, & ei Thursthanus successit.* Non modò primum, sed & alterum opinor electum Archipræsulem beneficio Regis: cùm Rex Angliæ omnibus eius Regni Ecclesijs per baculum & anulum Episcopos daret;

a *Henric. de Hoved. Annal. part. 1. in Henric. I.*

b *Ivo Carn. epist. 276.*

c *Matth. Paris in vita Henrici I.*

an iure res non caruit controversiâ: quæ deinde inter Germanos Imperatores & Pontifices Romanos eas turbas movit, quas suprà indicavimus. Sed superior fuit Romana sedes. Hic est ille Turstinnus, qui Archiepiscopus Eboracēsis cum Cantuariensi de primatu toties contēdit, & incredibili constantiâ. Et licet aliquādo coactus fuerit cedere in tempore, ut his verbis enarrat [a] Historicus laudatus: *Anno Domini M.CXVII. Rex Henricus ad natale tenuit curiam suam apud Vvindeleshoram, ubi cùm Turstannus Eboracensis Archiepiscopus Regem vellet coronare, iudicio omnium repulsus est, & lator crucis eius, quā in Capella Regis ante se deferri fecerat, extra Capellam eiectus est*; at deinde Pontificis Romani favore, & iudicio innixus Archiepiscopo Cantuariensi primas nunquam detulit: sed eius cōtroversiæ fuse meminit Vvilielmus [b] Malmesburiensis in gestis tum Regum, cùm Pontificum Anglorum.

*a Matth. Paris loc. cit.*

*b Vvillielm. Malmesbur. lib. 3. de gestis Reg. & Pontif. Anglor.*

11 Imperator Constantinopolitanus non modò duxit Clericos Palatinos ad summa Sacerdotia, verùm etiam ad culmen, atque apicem Ecclesiasticarum dignitatum interdum evexit, quod in Ecclesia Græca fuit Patriarchæ solium. Insigne est testimonium Nicephori Gregoræ, qui refert post Becum Patriarchā sede eiectum, sive ab Aula relegatum, ut aliâ occasione dixi, in eiusdem locum fuisse suffe-

ctum Gregorium Cyprium è Sacello Cleri Imperatorij: sic habet [a] Gregoras: *Erat autem tum insigni vir facundiâ ex Imperatorij Cleri Collegio Georgius Cyprius, qui elegantes Græcæ litteraturæ numeros, & Atticam illam linguam longo iam tempore oblivionis gurgite demersam ingenij dexteritate, ac singulari studio in lucem produxit; ac velut ab inferis revocavit.* Et post alia: *Est ab Imperatore post debita suffragia, & testimonia designatus: & pastorale pedum in Imperatorio suggestu more veteri ab Imperatore porrectum accepit.*

[a] *Niceph. Gregor. lib. 6. Hist. Bizant.*

Occurrit in historia Andronici, quam Græcè scripsit Cantacuzenus eximperator, & Latinè fecit Iacobus Pontanus, narratio adsimilis; & ob ea quæ contigêre lectu, & scitu digna. Nos eam brevibus referemus, cùm de more Græcorum sit prolixior, quàm ut integra adducatur. Cùm olim Ecclesia Bizātina suo Antistite careret, de novo eligendo agebatur: sed in magna controversia, & dissensione magnus Domesticus (is ut alibi dixi erat Aulæ summa dignitas, cui in parte responderet in Aula Hispana primus Maiordomus Regiæ) Imperatori persuasit, uti Ioannem Presbyterum, & Sacellanum Aulicum Antistitem Ecclesiæ Bizantinæ designaret: quem licèt obscuro loco natum, tamen rerum Ecclesiasticarum peritissimus ipsemet magnus Domesticus primò inter suos familiares adscripserat, ut sibi esset à

sacris domesticis, sed deinde, cùm ita usus posceret, inter Sacellanos Imperatorios allegerat stipendia sua illi relinquens, & Imperatoria insuper attribuens. Porrò Ioãnes partes suas tã benè explevit, ut Imperatoris gratiam meruerit. Qui de eiusdem electione magni Domestici consilium probavit si modo perfici posset. Sed Imperator ubi de ea re ad Episcopos retulit, nemo fuit qui vellet ire in suffragia. Vnde magno Domestico imposuit negotium, ut ipse cum Episcopis de eadẽ re vellet agere. qui nihilo blandiores facti post magnam controversiam id faciendum pernegarunt. Cùm Ioannes profanæ vitæ curis implicitus, ùt aiebant, uxorem, & filios haberet, licèt ijs se posset extricare, ut respondebat magnus Domesticus. Qui tamen Episcopos tantopere reluctantes aliâ viâ est aggressus, & devicit. Eosdem enim de re eadem deliberaturos interrogavit, an saltem vellent Ioannem Presbyterum (cùm nullo crimine esset irretitus) ad aliam quampiam Ecclesiam evehere, posthabitâ Bizantinâ? Quod cùm Episcopi malè cauti id se se libenti animo facturos respondissent, ineunt suffragia, & Ioannem Thessalonicensem Antistitem renunciant. Quod decretum Chirographo etiam confirmant, ita petente magno Domestico. Sed quò iste collimaret, Episcopi non advertêre. Etenim in manus Chirographum

de-

desumens factum laudavit primùm, sed deinde infit. Si ea quæ obiecistis Ioanni Sacellano Imperatorio ne Patriarcha Constantinopolitanus crearetur, firma & valida fuere, cur eadem crimina non eundem repulere ab Ecclesia Thessalonicensi? Cui vita integra,& mores incorrupti ad aliquam Ecclesiam aperiũt aditum,ad quamlibet aliam patere potest ingressus. Viderent igitur quàm malè facerent, & quàm putidas rationes adducerẽt, dum adversarentur Imperatoris voluntati. De me nihil dico (addidit magnus Domesticus) si quis honos mei vestrum tangit animum. Ad hæc cum Episcopis seorsum egit; Ioanni, si qui erant favorabiles confirmans, adversarios inflectens, ut futuri Præsulis sibi gratiam & amicitiã conciliarẽt. Quibus dictis, factisque Episcopi manum dedere suis se pennis captos intelligentes. Vnde licèt initiò repugnantes Ioannem Sacellanum Palatinum Patriarcham renunciarunt; *Hoc modo* (sunt verba [a] Historici, qui fuit ipsemet magnus Domesticus) *Ioannes contentione magni Domestici Patriarcha decretus, paulòq; pòst consecratus est.*

[a] *Cantacuz. lib.2. c.52.*

12 Mirum quantum faverint suis Sacellanis optimi Principes; & ipsæ etiam Regiæ mulieres, quod mihi memoriam refricat, & facit meminisse contentionis olim exortæ inter Carolum M. & uxorem Hildegradam. quis scilicet

cetè duobus Clericis Palatinis ad Episcopatum quemdam eveheretur. Isne qui, ut antè dixi, cùm graphicè litteras pingeret, nec illaudatas epistolas dictaret, easque plurimas, fuit Carolo ab epistolis & à secretis? an verò Reginæ alius quidam Sacellanus (utriusque Sacerdotes fuisse distinctos ex hac historia liquidò conijcimus) cui ipsa favebat impensè? adeò ut ad hoc impetrandum miserit ad virũ Regni proceres primùm, deinde ipsa accesserit idem petitura. Referam historiam [a] Auctoris stylo, imò verbis ut non semel feci: sic enim post nõnulla prosequitur: *Tandem Hildegrada Regina misit proceres Regni, posteà verò per se ipsam accessit ad Regem, ut impetraret Episcopium illud Clerico suo: cùmq; ille petitionem eius iucundissimè susciperet, dicens se nihil ei velle, aut posse denegare: nisi quòd Clericum illum* (cui scilicet promiserat) *fallere dedignaretur. ut est omnium consuetudo fœminarum, ut consilium suum & votum virorum decretis præponderare velint, dissimulatâ iracundiâ mẽte conceptâ, & grossa voce in exilem conversa, gestibusq; languidulis inconvulsos Imperatoris animos emollire tentans, dixit ad eum: Domine mi Rex, quid puero illi Episcopatum illud ad perdendum? Sed obsecro, domine dulcissime, gloria mea, & refugium meum, ut detis illum fideli famulo vestro, Clerico meo illi. Hæc Hildegrada, quæ tamen Caroli mentem non flexerunt.* Nam in proposito perse-

a *Monach. Sangall. lib. 1. vit. Carol. M. cap. 5.*

ve-

verans alterum evexit: declarat tamen factum istud, quàm impensè faverent suis Sacellanis Reges & Imperatores. De hoc dissidio Caroli & Hildegradæ meminit etiam qui scripsit Annales [a] Boiorum, & in pauciora restrinxit, dum laudat Carolum satagentem, ut boni Pastores Ecclesijs præficerentur. Hildegradæ Reginæ, inquit peteti pro sacrifico suo, idem proceribus Aulæ rogantibus, respondit: *Idoneo, & si pauperi iam destinavi: Imperatorem mentiri, aut falli non decet, ut obtrudat superis, cuius vitam, mores, ingenium ignoret: & tantone operi par sit, compertum non habeat.* Scriptorem, qui primus ad nos hæc transmisit, reticet qui scripsit Annales [b] laudatos, dissimulans per quem profecerat. Sed parum ingenuè.

*a Annal. Boiorum lib. 4.*

*b Annal. Boiorum lib. 4.*

13 Quin etiam observavi ex vetustissimis monumentis Reges interdum ægrè tulisse quorundam Sacellanorum factum, qui Regibus ipsis vel nolentibus, vel inconsultis Episcopi sunt facti. Ita [c] Carolus Calvus indignè tulit Thiotum Sacerdotem Palatinum electũ fuisse ipso Rege ignorante Antistitem Baiocensem. Idem Rex eundem animi sensum expressit, cũ Agius Aulicus etiam Sacerdos Aurelianensis Præsul eodem Rege inscio est creatus: quãvis deinde electioni consenserit efflagitatu Synodi [d] in Verno Palatio habitę; adeòque in Caroli gratiã Agius redierit, ut autumat Sirmon-

*c Buleng. in Append. de offic. Reg. Gall.*

*c Concil. in Verno Palatio inter capitula Caroli Calvi ubi Sirmondus.*

mon-

mondus in notis ad Capitula eiusdem Regis.

14 Non tamen silebo locum quendam Lupi a Abbatis Ferrariensis, qui testatur Clericos Palatij, id est Capellanos, maximo interdum flagrasse desiderio Abbatiarum possidendarum: *Cæterum*, inquit, *fama versatur inter nos, Clericos Palatinos diversorum Cœnobiorum sibi præfecturam optare, atque poscere: quibus nulla alia cura sit, nisi ut suæ avaritiæ oppressione servorum Dei satisfaciant.* Tacitè aviditatem insectatur, quâ fortasse Sacerdotes Aulici bonis Ecclesiasticis inhiarunt. Sed ea fuit temporũ, quãdo Lupus hæc scripsit, corruptela, ut ne laici quidem ipsi à redditibus sacris abstinerẽt; & Regum beneficio neque fœminæ interdũ excluderentur. Legat qui de hac re plura nosse cupit, querelam Ecclesiæ Gallicanæ, seu tractationem de sacrilegio laico; quam eruditè scripsit Ioannes Filesacus Theologus Parisiẽsis, qui eius morbi periodos, & accessiones perbellè agnovit & ostendit.

a *Lupus Ferrar. epist. 28.*

15 Atqui, ut rem quam cœpi, concludam, Reges & Imperatores antedicti nõ modò suos Sacellanos opîmis Sacerdotijs locupletabãt, cùm ab Aula discederent missione impetratâ; sed eosdem dum in Regia moraẽtur rei divinę faciendæ causâ, honorarijs, & stipendijs donabãt. In Imperio Orientis Clericos Aulicos stipendio fuisse donatos apertè docet historia su-

prà relata, de electione Ioannis Patriarchæ. Is enim cùm prius fuisset magno Domestico à sacris, allectus deinde inter Sacerdotes Imperatoris ab utroque stipendia percepit. Præterea in Imperio Occidentis non contemnenda vectigalia Sacellum Regium percepit. Certè habuit peculiare ærariũ, cui mulctas quasdã Reges attribuebant, id est pœnæ nomine exactas pecunias. Ita Sacerdotes illi qui vocati negligebant ad Synodum accedere, necesse erat inferrent in ærarium Sacelli Regij pecunię certã summã. Lex[a], quæ hoc iubet, extat in Capitularibus Caroli & Ludovici: *Solidi verò LX. de ipsa causa in Sacellum domini Regis veniãt.* Sũt verba sanctionis. Plurimarum etiam rerũ decimam percepere Sacellani Aulici in eadem Orbis parte, ut apertis verbis nos edocet Capitulare III.[b] Ludovici Imperatoris: *De decimis, quæ ad Capellas dominicas dãtur, &c.* Reges consequẽtes aliâ viâ suos Sacellanos, dum etiã in Aulis degerent, opibus locupletarunt. ut nimirum decus & dignitatem personæ, quã gerebant, sustinerent. Regũ Galliæ Capellani, quos Rhenatus Choppinus [c] vocat sacros sodales Palatini Fani Parisiensis, Regalem habent redituũ perceptionem vacuorum Episcopatuũ: unde refert Sacellanis ędis Palatinæ adiudicatos vindiciariâ quâdam formulâ profanos reditus vacui Episcopatus Pictaviẽsis. Regijs.[d] itẽ eius-

a *Carol. & Ludov. lib. 5 Capit. cap. 9*

b *Tom. 2. Cõcil. Gall. ex collect. Sirmon.*

c *Rhenat. Chopp. de sacri Polit. lib. 1. tit. 7 num. 15.*

d *Idem lib. 3. tit. 5. n. 20.*

eiusdem Aulæ sacrificulis, ut vocat idē Auctor, singulari iure competunt proventus aliorū Sacerdotiorum, tametsi absentibus à Collegio Sacerdotum, cui sunt adscripti; demptis tamen diurnis sportulis, seu diurnâ annonâ, quā distributionem quotidianam appellamus. Sed hæc privilegia, quas patiantur restrictiones, declarabit sermo, qui de eâdem re posterius recurret. Hoc enim privilegium Regij Sacelli nimis vagum, effusumque visum fuit universo Clero Gallicano, adeòque intercesit. Sed ferè irrito conatu.

## NOTÆ.

## SECTIO PRIMA.

16 *DE stipendio diurno.* 17. *Aulico Sacerdoti ob quæ maximè necessarium.* 18. *An sola spe beneficij liceat servire Magnatibus?* 19. *Stipendium necessarium etiam ad exemptionem.* 20. *Familiaris quis verè dicatur.* 21. *Beneficium quādo vacet ob eiusdē mortem.* 22. *Diploma Sacelli Aulæ Hispanæ & Lusitanæ.* 23. *Qui excusentur Capellani Regū ab assiduitate in beneficijs?* 24. *Viduæ Ecclesiæ reditus ijsdē ubi attributi?* 25. *Itē*

Pro Capella Aulæ Hispanæ.

*assiduitatis venia concessa. 26. Collegia alia Ecclesiastica, & Senatores Regum gaudent simili privilegio. 27. Capellani quoque Aulæ Neapolitanæ & Lusitanæ. 28. Et familiares Cardinaliũ. 29. Ordo Ecclesiasticus in Hispania & Gallia se opposuit antedicto privilegio. 30. Quæ restrictiones sint adhibitæ.*

16 VT universam dissertationem cõcludamus, aliquid dicendum superest de beneficijs, & muneribus Regijs, quibus in Aula Hispana Sacerdotes Palatini post exactos aliquot annos in ministerio Sacelli Regij, principali liberalitate ditantur; & de honoribus quibus in discessu itidem augentur. De qua re, ut etiam loquamur partitè, duplex volumus tempus attendere. Primum non restringimus ad missionem; cùm scilicet Capellani Regali exeunt Aulâ; sed dum adhuc in ipsa Regia commorantur. Quæ scilicet stipendia percipiant? quæ commoda lucrentur? Alterum tempus est illud, quod innuimus; cùm scilicet receptui canunt, vel ut melius dixi missionem, seu honestam, seu causariam impetrant. quibus honoribus aucti? quibus Sacerdotijs ditati lares patrios, & domesticos repetunt?

17 Qua

17 Qua etiam in re advertere debemus, ſtipendium illud, quod Aulici, præſertim ſacris initiati, & ſacratis miniſterijs addicti, erectique in ſpē beneficij Eccleſiaſtici, ſolent percipere, omnino eſſe neceſſarium, ſive intueamur Principem ipſum, in cuius Aula verſantur, & cuius Sacellani perhibentur; ſive ipſoſmet, qui vitam Palatinam vivunt. Quantumvis ſtipendium illud ſit exiguum, dummodo ſe contineat intra latitudinem iuſti, licèt infimi pretij: quod hîc *Gagges*, Romæ *Partem* appellant. Nam quod attinet ad virum Principem, cui famulantur, dum is aliquantulum pecuniæ ex ſuo ærario depromit, hac viâ ſibi conſulit, ſeque ſcrupulo liberat. Eo enim ſtipendio Aulici laborem aliquantulùm etiam compenſat. Licèt deinde (cùm ſumptus in Aula facti multum præponderent) ſoleat grati animi ergò viâ aliâ illis facere ſatis. debeatque ob eam cauſam (vocant antidoralem obligationem) ferri in Aulicos voluntate propenſiſsima. cum cautionibus tamen ſuprà datis. Quamvis etiam ſint, qui dicant, ut liberent omni ſcrupulo tum Aulicos, cùm Principes, non reſpicere ad hęc minutiora Reges & magnos viros; ſed beneficos eſſe & liberales ſuâ naturâ, quamvis nulla promerita (præter quędam omnibus neceſſaria) præceſſerint. Cuius rei illud indicium certiſsimum eſſe

aiunt, quòd interdum Regius animus instar solis, qui inexoratus exoritur, sua beneficia non poscentibus offert. Necessarium est etiam idē stipendium, si respiciamus ipsosmet viros sacratos, qui in Aulis degunt. Etenim ne videantur [a] solâ spe Ecclesiastici beneficij assequendi suam operam pręstare (quod etiā licere nonnulli aiunt) dùm hoc honorario stipendio donantur; videntur quoquomodo ad illud respicere: præterquàm quòd dum Regi inserviunt hæc etiam servitus, eaque sola reponitur in loco muneris præcipui; nec immeritò.

18 Quæ plane possunt generatim excusare omnes Aulicos promiscuè, dum exhibent eâ spe sua obsequia viris primarijs. Sed Sacerdotes Aulicos præcipuè tuetur alia ratio; quod nimirum operam, quam præstant, est omnino spiritalis. Vnde si ad beneficium aliquod spiritale respiciat, culpâ carent. Pro certo enim constituimus Sacerdotes Aulicos præter rem divinam peractam nullum profanum obsequiū deferre: neque ea ministeria peragere, quæ Clericus ille, in quem invehitur Divus [b] Bernardus. Etenim apud [c] doctissimos Theologos nullius criminis simoniaci est reus, qui ad assequendum aliquod spiritale, spiritalem itidem operam præstat. Maximè si nulla pactio præcedat, atque hæc opera aliquod lucrum reportatura diurno aliquo stipendio, ut ante di-

a *Suar. to. 1. de Relig. lib. 4. c. 40. n. 7.*

b *D. Bernar. ad Sugger. Abbat. epist. 78. Rogo, inquit, quid hoc est mōstri? ut cùm & Clericus & miles simul videri velit neutrum sit? Par satis utrobique abusio, sive quòd Diaconus mensæ Regiæ deputetur ministerio, sive quòd Regis dabifer ministerijs altaris inserviat.*

c *Suar. loco citat. n. 11.*

diximus; quoquomodo compensaretur.

19 Verumenimverò necesse est omnino, ut Sacellani Regum, magnorumque Principum stipendia quantumvis exigua percipiant, ad duo imprimis consequenda, quæ illis conceduntur iure singulari. Primum est, ne Episcopi Diœcesani legibus, & iurisdictioni subdantur, sed proprio Antistiti obedeant: ut nos hodie summo Sacellano subdimur, & Legatis sedis sacrosanctæ: quâ potestate est præditus Nuncius Apostolicus, qui in hac Aula est assiduus: & hodie Illustr. & Rever. D. Cæsar Monte Patriarcha Antiochenus: in quem ea Deus cõgessit ornamenta, prudentiæ, pietatis, humanitatis, & eruditionis, quæ in integerrimo & ornatissimo Præsule possumus desiderare. Tales optat atq; amplexatur Aula Hispana, & tales semper alleget ad Reges Catholicos Romana. Alterum, ut in ijs beneficijs quibus potiuntur, & quæ alioquin assiduum beneficiarium requirũt assiduitatis, quam residentiam dicimus, veniam assequantur. Hæc enim duo privilegia ijs tantummodo irrogarunt Pontifices Romani, qui vere essent domestici & familiares Principum ex Canonum præscripto. At quisquis hæc duo simul non coniunxit famulatum & stipendium, nullo modo talis censetur.

20 Sic lege [a] Pontificiâ Bonifacij Octavi est definitum; illum esse familiarẽ & dome-

[a] Cap. ult. de verb. signif. in 6. ubi notant omnes Doctores.

 sti-

ſticum Magnatis alicuius, qui non modò ſerviat ſervitutem, verùm etiam impenſis eiuſdem alatur. In cuius Canonis explicationem Dominicus tam verè, quàm facetè [a] dixit familiaritatem *corpore & dentibus* acquiri. corpus enim ſerviat, neceſſe eſt, dentes verò mandant. Licèt [b] pro victu & cibo pecunia poſsit dari. Idem quod Dominicus notarunt alij Canonum [c] Doctores.

a *Dominicus in c. ult. cit. penult. notabili.*

b *Decis. 54. lib. 1. par. 3.*

c *DD. in c. ult. cit. Anastas. Germonius de indult. Card. §. præterquàm.*

21 Vnde etiam eſt factum, ut iuxta regulam [d] Cancellariæ Apoſtolicæ non dicatur vacare beneficium ob mortem familiaris Cardinalis, ſi is qui mortem obijt, verſabatur quidem more Aulicorum in quotidiano Patris Purpurati obſequio; quem fortaſſe deducebat, & reducebat, vel aliam operam præſtabat, ſed nullum interea ſtipendium percipiebat. Vt enim verè familiaris cenſeretur, neceſsè erat ut tum ea obſequia exhiberet, cùm pecuniæ certã ſummam, vel cocti, & quotidiani cibi partẽ in dies ſingulos [e] perciperet. Licèt opus nõ eſſet, ut comederet in triclinio [f] communi, & referretur in album, in quo deſcribuntur domeſtici.

d *Gomez ad Reg. de Impetr. benef. vac. per obitũ famil. Cardinal. glo. 13*

e *Decis. 145. Rota lib. 2. par 3.*

f *Rot decis. 619. nu. 16. lib. 3. par. 3.*

22 Hæc duo etiam coniunxit præteritis annis [g] Paulus Quintus in diplomate quod efflagitatu Philippi Tertij conceſsit Aulæ Hiſpanę Sacellanis; ſi nollent ſubeſſe Antiſtiti Diœceſano, & exſolvi cuperent lege aſsiduitatis; quã cætera, ſi quæ haberent, Sacerdotia requirerẽt:

g *Bulla Pauli V. anno 1613.*

*Consueta*, inquam, *stipendia*, *& Aulæ ministerium*. Quòd si alterutrum deesset, nec summus Capellanus sedi Apostolicæ immediatè subijceretur, neque reliqui Sacerdotes Aulici hũc agnoscerent suum Præsulem, & suarum controversiarum iuridicum disceptatorem. neque occasione Regij famulitij abesse possent à suis beneficijs, quæ assiduum beneficiarium requirunt. Ad hæc duo consequenda easdem leges præscripsit in simili privilegio Leo X.[a] Lusitanæ Aulæ Sacellanis. His temporibus admodum exiguum reputatur stipendium, quod Aulæ Hispanæ Sacellanis exsolvitur. Etenim durat adhuc vetus domus Regiæ œconomia, quâ omnibus ferè officijs Palatinis ea est pecuniæ summa pro mercede attributa, quę olim inspectâ temporũ cõditione potuit se cõtinere intra latitudinẽ iusti pretij, licèt infimi; nunc autem immutato pretio rerum vænalium, auctoque in immensum (pro antiqua frugalitate) temporum luxu in multis Aulæ administris vix extat vestigium stipendij; licèt non lucri, sed honoris ergò, tanquam honorarium expetatur.

23. Nuperis annis Philippus III. Rex noster bullatas tabulas à Paulo V.[b] Põtifice Romano obtinuit (quòd paulò ante dixi) ut triginta Sacellani Aulæ Hispanæ perciperẽt integros fructus beneficiorum, quæ in alijs Ecclesiasticis sodalitatibus obtinerent; licèt ea præsentiam &

a *Bulla Leonis X. apud Cabed. de patron. Regiæ Coronæ.*

b *Bulla Pauli V. anno 1613.*

& asiduitatem beneficiarij requirerent (excepta sunt tamen ijsdem codicillis Pontificijs præbenda,quæ Theologalia dicuntur, necnõ Pœnitentialia. Demptæ sunt etiã diurnæ sportulę,quas distributionesquotidianasvocamus) ita enim fieret, ut Aulici Sacellani, decus & dignitatem personæ,quam gerunt, sustinerent. Sed hoc diploma, & alia Pontificia privilegia alijs Regum Capellis irrogata in calcem huius operis reijcimus.

24 Hac eâdem moti ratione,id est ut Aulici Sacerdotes honesto, splendidoque cultu viverent, & quales Aulam decent, Reges alij vias alias excogitarunt ad eosdem moderato,& decenti stipendio donandos. Sacellani [a] Regum Gallorum ditantur fructibus Ecclesiarum viduarum, qui durante viduitate ad Regem iure regaliæ pertinerent. Facilè hoc posset indulgẽre Capellanis Siculis, qui in hac Aula rẽ divinam faciunt. Siquidem in ea provincia reditus vacui Episcopatus, & multorum Sacerdotiorum caducarij proventus cedũt Regio ærario; licèt in alios usus, quàm in pios erogari nolit religio Regum Hispanorum. certè ita præcipiunt.

25 Præterea Sacellanis Aulæ [b] Gallicæ ob eandem rationem,ut haberent unde sumptibus sufficerent, Romanorum Pontificum indulgẽtia est concessum,ut si in alijs Collegijs beneficia

*[a] Rhenat. Chopp. de sacra Polit. lib. 1. tit. 7. n. 4. & 15.*

*[a] Idẽ de Domanio lib. 5. tit. ult. n. 8. ubi Bullæ Põtificũ. Gaym. r. in pragmat. sanct. glossem. Carol. de Grassal. lib. 2. regal. Franciæ tit. 29. Dec. in cap. decernimus, de iudicijs.*

cia

cia possideant, quæ assiduitatem, id est residẽtiam requirunt, eâ assiduitatis lege exsolvantur; quâ cæteroqui ligarentur: quod privilegium extenderunt Gregorius Nonus, Clemẽs Sextus, Ioannes Vigesimussecundus ad ea etiam beneficia, quibus immineret cura animarum.

26. Fruuntur simili prærogativâ sodalitates aliæ Ecclesiasticæ, quæ nullo modo sunt comparandæ cum Sacello & Sacellanis alterutrius Regis, sive Hispani sive Galli. Canonici Ambianenses [a] dũ Cathredali Ecclesiæ inserviunt, non est illis necesse, ut adsint, & sint assidui in alijs Sacerdotijs, quæ assiduos optant beneficiarios, habentque regimen animarum. gaudent eodem privilegio Canonici Senonẽses. Huc referri potest mos non absimilis; nimirum in nonnullis Ecclesijs Cathedralibus, quædam esse Sacerdotia, in quibus beneficiarij eo tantùm nomine non sunt assidui, quod in Cœnobijs quibusdam summam præfecturam assequantur. Talis est [b] Abbas sancti Martini Parisiensis, qui hoc tantùm titulo non est assiduus in Cathedrali Ecclesia, in qua præbendã obtinet perpetuam. Abbas item sancti Euricij Sacerdotium aliud habet in Ecclesia Aurelianensi. Sed uterque habet veniam assiduitatis, dum agunt Cœnobiarchas. In eadem Aula Regum [c] Gallorum non solùm Sacellani Pala-

[a] Rhenat. Chopp. lib. 1. de sacr. Polit. tit. 3. n. 17.

[b] Henr. Boich. c. Deus qui, de vita & honest. Cleric.

[c] Rhenat. Chopp. lib. 2. Monast. tit. 13. num. 14. idem lib. 3. de sacr. Polit. tit. 13. n. 17. Boerius decis. 17. num. 14. par. 1.

latini, Senatores etiam & Consiliatij Regum eorundem, si Clericis sint adscripti, & Sacerdotia possideant, quæ assiduã beneficiarij præsentiam requirunt, utuntur privilegio antedicto, dum Regi & Reipublicæ suam operam accommodant.

27 Præterea comperi Sacellanos aliorum Regum fuisse Pontificum indulgentiâ eodem privilegio munitos. Hoc enim irrogarũt duodecim [a] Capellanis Regum Neapolitanorũ Benedictus XI. Carolo II. Rege, & Ioannes XXII. Roberto Rege petente, qui Pontifex in suis codicillis idem antea concessum asserit Aulæ Parthenopeæ Sacellanis à Clemente V. Hoc etiam fuisse indultum Sacellanis Regum Lusitanorum ostendunt duo diplomata Leonis X. quæ exscribit [b] Cabedus, & ad curalia Sacerdotia, id est beneficia curata porrigũtur. eiusdem notæ sunt quæ Clemens Sextus Regibus Galliæ concessit; quorum bullatas tabulas referunt Carolus [c] de Grassalijs, & Rhenatus Choppinus.

28 Non absimile est, quod scribunt de familiaribus & domesticis Cardinalium (quippè Regibus æquiparantur) Abbas [d] Panormitanus, & Ioannes Andreas.

29 Quamobrem in his Hispaniarum Regnis hoc Sacelli Regij privilegium benè posset sartum tectum haberi absque alia Ecclesiastici

a Petr. Vincent in M.S ex Registris anni 1305. 1306. & 1326. 1327.

b Cabed. de Patron. Regia Coronæ, cap. 42.

c Carol. de Graff. lib. 2. Regal. Frãs. tit. 19. Rhen. Chopp. locis suprà citatis

d Abbas & Ioan. Andr. in cap. cùm dilectus, de Cleric. non residens.

ftici Ordinis contradictione.qui,cùm primùm ad Sacellum Regium diploma Pontificiũ pervenit,è vestigio intercessit. Etiam in Gallijs universus Clerus Gallicanus non semel insurrexit in simile privilegium, quod Pontifices Romani Aulæ Sacellanis irrogarunt. Verùm Senatus [a] supremus,vel Clero reclamante,& repugnante illud non sivit labefactari. Extant, & referuntur in eam rem quamplurima Senatus-consulta Sacello Regio favorabilia. Imò vicit sæpè ea sententia,quæ Aulicis Sacerdotibus assiduitatis veniam concessit.

a Rhenat. Chopp. de sacra Polit. lib. 3. tit. 5. n. 20

30 Non tamen silentio involvam restrictiones,quas idem Senatus in hac parte adhibuit; & hoc privilegiũ Sacelli Regij est moderatus: nimis enim vagũ,&effusum esse vociferabatur Clerus Gallicanus. Imprimis vetuit,ne Collegia & sodalitia Canonicorũ, quæ Regij muneris(id est Patronatus)& beneficij nõ essent, pluribus quàm duobus Sacellanis Regiæ familiæ onerarentur. Alias verò Ecclesias Regiæ collationis ultra quatuor id genus Clericos amittere nõ permisit. Nisi tamẽ ea Ecclesiastica societas quadragenario Canonicorũ numero cõstaret, vel ampliore:ex ea enim assumi possent sex Aulici Sacerdotes. Atque hæc fuit prima exceptio;altera, quæ sequitur: id est, ut Sacellani Palatini exacto anni tempore, quo in domo Regia ministerium suum obeunt(quod debet

bet redire in Orbem) suas adeāt Ecclesias, suoque officio defungantur. Id enim vehementer expostularat universus Ordo Ecclesiasticus: & causabatur Ecclesias ob id Sacerdotibus destitutas, Collegiorum dignitatem imminutam. Ad hoc maiores Sacerdotia instituisse, & opimis præbendis dotasse; ut Collegia Ecclesiastica, & maximè Templa Cathedralia præ cæteris splendorem præseferret. Cùm rursus in eadem Aula Sacellani Regij aliud, nec absimile, diploma elicuissent, veniæ scilicet & gratiæ assidui officij in suis Ecclesiasticis beneficijs, & iterum ordo Ecclesiasticus intercessisset, ne promulgaretur: Fuit tamen rescriptum cum ea cautione publicatum, ut Sacerdotes & Cantores Aulici distinctè referrent in suas Ecclesias syngrapham Regij famulitij assertoriam, id est testem & indicem temporis, quo versati essent in familiari Regũ comitatu. Alia refert Rhenatus Choppinus Senatus-cõsulta, quibus pronunciatũ est, ut Aulæ Sacellani aliorum beneficiorum fructibus potirentur absentes, hoc eodẽ nomine, quòd in Domesticis Regum Sacerdotibus numerarentur. Quid ergo prohibet, quominus in Hispania non absimile privilegium Sacelli Regij è Pontifice Romano Regum efflagitatu concessum in usum, atque praxim deducatur? si præsertim cautiones antedictę adhibeãtur: sed de primo tempore hæc hactenus.

SE-

## SECTIO SECVNDA.

31 *PRincipis aspectus loco muneris.* 32. *Eiusdem beneficia vel exigua magnifacienda.* 33. *Aulicorum seu Curialium privilegia.* 34. *Capellanis vacatura beneficia alicubi affecta.* 35. *Item Regum Consiliarijs: Patrono Principi an liceat variare?* 36. *Regis Neapolitani Capellanis, quae beneficia reservata?* 37. *Sacellum Aulae Hispanae Antistitum seminarium.* 38. *Quot dederit Reip. viros clarissimos.* 39. *Supremus Italiae Senatus eiusdem fautor.* 40. *Testamentum Philippi II. & lex Hispana Regio Sacello favorabilis.* 41. *Rex & Capellani, quae sibi mutuò rependant.*

31 AD alterum transeamus: quibus scilicet honoribus aucti, quibus Sacerdotijs locupletati discedāt ab Aula Sacellani Regum Hispanorum. Hoc unum restat ostendendum ad operis & tractationis conclusionem. Qua etiam in re duo rata habeo. Primum illud est, veram censeri argutam Cassiodori [a] sententiam: *Certè*, ait ipse, *munus est videre Principem*: quasi verò nihil gratius & acceptius

a *Cassiodor. lib. 10. ep. 3.*

prius posſit bono ſubdito accidere, quàm ſui Principis aſpectu poſſe perfrui. Cuius dicti idem Auctor [a] alibi cauſam dederat ijs verbis: *Pene ſimilis eſt mortuo, qui à ſuo dominante neſcitur*. Atque ipſemet Theodoricus [b] dum ſermonem habet (ſed eiuſdem Caſsiodori linguâ) de ſuis Aulicis hæc loquitur: *Nam quilibet habere noſtra colloquia, munera credit eſſe divina*. Verumenimverò licet Aulicis ſui Principis aſpectus ſatis, & abundè pro mercede eſſe debeat, alios tamen pro humani corporis imbecillitate Aulæ miniſterium debilitat, alios attritis facultatibus ſumptus frangit, alios amor patriæ ad ſe revocat (licet Aulam communem patriã ſint qui [c] appellent) ſeu, ut veriùs dicam, amor ſui ipſius; nam cùm patriam volumus repetere, falsò obtenditur eiuſdem amor: potius nobis perſuademus, ita dictante naturâ, noſtrum eſſe facili negotio ibi ſervaturos, unde accepimus. cùm enim conſervatio ſit continuata quædam productio, nihil poteſt faciliùs cõſervare, quàm illud, quod nos produxit *dias in luminis oras* diceret Lucretij ſtudioſus. Hanc ipſam affectionem mihi videtur ob oculos habuiſſe Caſsiodorus [d] cùm dixit: *Vnicuiq; Patria ſua carior eſt, dum ſupra omnia ſalvum fore quæritur, ubi ab ipſis incunabulis commoratur*. Demum vult aliquando Aulicus, ſi ſapiat ſibi [e] vivere: *Tanquam ſatur conviva recedere*, & [f] *prima & media*

a Idem lib. 5. epiſt. 26.

b Idem lib 3. epiſt. 22.

c l. Roma, D. ad municipal.

d Caſsiodor. lib. 1. ep. 21.

e Lucret.

f Plinius Secundus.

*dia tempora Reipub. postrema sibi ipse impertirit.*

32 Alterum, quod verum etiam esse existimo, illud est; Principum beneficia quantumvis exigua (ut sentiunt æqui rerum æstimatores) magni esse facienda: *Dona Regalia quamvis parva sublimant*, ait [a] Cassiodorus sæpe laudatus. Et si vis causam, idem dabit: *Quia simul & meritorum gratiam reperisse creditur, qui principali munere sublevatur.* Tum sententia, cùm ratio, ut dixi, est Auctoris in Aula versatissimi. Neque enim debet primo loco adduci in considerationem pretium beneficij Regij collati, sed Principis benefici iudicium; quod cum laude profert de eo subdito, quem Regijs muneribus extollit. quod generatim de beneficijs est dictum à Philosophis, id maximè in ijs locum obtinet, quorum Princeps est munificus largitor: nimirum beneficia non consistere in pretio, sed in tribuentis voluntate: per quæ voluntas amica sese explicat. conformis fuit sententiæ Cassiodori altera, sed [b] Auctoris antiquioris: *Gravissimi Principis*, ait ille, *iudicium etiam in minoribus rebus consequi pulchrum est.* sed hæc tanquam parerga.

33 Quamvis hæc duo verissimè dicantur, atque Aulici deberent interdum suâ sorte vivere contenti, & quælibet Principis beneficia vel exigua magnifacere, nunquam tamen optimi Principes passi sunt superari subditorum

a *Cassiodor. lib. 9. ep. 13.*

b *Plin. Iun. lib. 4. epist. 8.*

& Aulicorũ obsequijs. Imperatores [a] & Pontifices Romani universis in Romana Curia degentibus, nedum solis Aulicis domus Imperatoriæ & Pontificiæ peculiaria privilegia irrogarunt. Ita enim compensarunt sumptus & labores, quos in adeũda, & incolenda Curia sunt perpessi. In qua etiam dum commoratur, multorum & infimorum hominum iniurijs sunt expositi, aiebat [b] Alphonsus Soto Hispanus. Vnde quibus privilegijs Romana [c] Curia dicatur, ijsdem Curiales perfruuntur: quorum commodo & favori inventa fuit beneficiorũ reservatio [d]. Iisdem Pontifex intendit beneficia primum conferre. Hinc in [e] pari causa præferuntur, & multa alia assequuntur, quæ tradunt legum & canonum Consulti. quæ nos ne actum agamus, in parte præterimus.

r 34 Reges etiam non minorem curam adhibuere, ut qui Regales Aulas frequentarẽt, summis privilegijs & muneribus ornarentur. Quod attinet ad Aulicos Sacerdotes hęc maximè observavi. Pontificiâ auctoritate & Gallorũ Regum indulgentiâ eo privilegio [f] utuntur eius Aulæ Sacellani, ut in quolibet Canonicorum Collegio sex beneficia vacatura habeãt effecta; si tamen fuerint patronatus Regij, aut ad Regẽ collatio pertineret iure regaliæ. Alias etiã adhibuit huic privilegio Aulicorum Sacerdotum coërcitiones suprema Curia Parisiensis.

Pri-

a l. 1. & 2. de Curial. urbis Roma. Cod. lib. 11. cõsti. tut. Põtificũ quas refert Gonçalez in Reg. 8. Cancell. gloss. 4. à num. 149.

b Glossator antiquus in reg. 15.

c Arg. l. fin. D. de milit. testam.

d Gloss. in extravag. execrabilis, §. quia omnia, verb. Reservamus, de prebẽd. Ioã. 22. Rebuff. in prax. 3. par. verb. Alia clausula.

e Regul. Cãcel. 16. de concur. in dat. 1.

f Rhenat. Chopp. lib. 2 Monast. tit. 3. num. 21.

Primùm ut ea solùm beneficia & Sacerdotia Aulæ Sacellanis essent affecta, quæ obitu ultimi beneficiarij vacarent; non quæ ad Regiam nominationem iure regaliæ pertineret. Deinde ut duo tantùm beneficia censerentur affecta in eo Collegio, quòd non plures, quàm duodecim sodales, seu Canonicos enumeraret. Si eũ numerum excederet, quatuor: si viginti quatuor, aut plures contineret, sex: unum verò, si neque duodecim sodalibus constaret.

35 Quoniam verò in præsidiali quoq; Galliæ solio Senatores Clerici profanis admiscẽtur, ut iuris Ecclesiastici opes accuratiùs tanquam suas tueantur, cùm ad ea prætoria sacratæ causæ *abusus* nomine deferantur, Pontifices Romani [a] indulsere, ut ijdem Senatores Clerici & Aulici Consiliarij ad beneficia vacatura possent designari. Vnde [b] Iuris-consultus qui hæc refert, eâdem occasione quæsivit, utrùm Senator Clericus, nominatus ad beneficium eius generis, id est quod nondum vacat, si interea magistratu se abdicat, beneficium cùm primùm vacaverit, eidem debeatur? De qua controversia ait Prætorianos Consiliarios amplius deliberandum pronunciasse; cùm id privilegium Magistratui concessum, statu personæ mutato, [c] sublatũ videretur; ex alia verò parte alij asserebant nominatione ipsâ ius tributum fuisse, & vacaturum beneficium semel

*a Eugenius 4. anno 1434. Paulus 3. anno 1538.*

b *Rhenat. Chopp. lib. 2. de Domanio Frãc. tit. 10. num. 16. 17.*

*c l. Tit. Seio, §. usuras, D. de legat. 2. l. per procuratorem, D. de acquir. hæred. l. licitatio, § ult. D. de publican.*

affectum, nominatóque soli designatum. Quãvis aliàs doceat apertè, capacitatem Regij nominatarij considerandam die ipso vacationis, non nominationis, licet aliud sciamus esse cõstitutum a in candidato Põtificis Maximi, seu mandatario Apostolico.

Volebã hoc loco addere, utrùm liceret Regi designatum semel beneficiatium, & Antistitem nominatum removere? quod est an liceat Patrono Regi variare? Nam variationẽ nõ admitti ex sanctionis Consilij Regij iudicio; & desinitione refert Iurisconsultus b non ignobilis & Gallus: licet enim Patrono inferioris ordinis liceat mutare calculum; id est variare c in offerendo collatori Sacerdote, Principalem autem maiestatem minimè decet levis hæc voti, & sententiæ mutatio. Cùm eius vox, ac fides publica debeat inconcussè; constanterque servari. Laudabat etiam huius opinionis Auctorem d Baldum; cuius auctoritati plus fuisset deferendum, si hoc docuisset. Locum enim, quem citat, quæsivi, sed non reperi id docere: Atque ambiguum videri potest, si Principi post nominationem candidati, innotescant vitia hactenus incognita, quæ persæpè post electionẽ ad notitiã deveniũt. Cùm scilicet Populus, & gẽs subiecta evectos ad honores & dignitates examinat, an collato munere sint digni? ut alibi fusè e dixi: *Cùm se mobilis aura circumegit* *ipsi*

a *Cap. si eo tempore, de rescript. in 6.*

b *Rhenat. Chopp. lib. 2 Dom. Frãc. tit. 10. num. 15.*

c *Cap. quod autem, ... de iure patron.*

d *Bald. vol. 4 cons. 327.*

e *Vide me in Parallelis Ethic. & Iuridic. dissert. 8.*

*ipsi qui fecere, mirantur*, ait Auctor valdè bonus loquens de electionibus (nomen excidit) certò ego memini, à supremo quodam huius Aulæ Senatu quæsitum fuisse in mores, & crimina cuiusdam, quæ illi obiecta fuere post nominationem, quam (fortasse ficta, vel non manifesta iudicarunt) suppressâ tantisper nominationis scedulâ, ratã deinde habuerũt. Audivimus etiã Episcopũ Lucensem nescio quem ab Ecclesia Hispalensi, ad quã fuerat Archipræsul designatus, remotũ fuisse à Philippo II. ob ea quæ post nominationem Rex Prudentissimus rescivit.

36 Quod etiam in Aula Regum Neapolitanorum Aulicis Sacerdotibus beneficia reservarentur, (tametsi non essent Regij muneris, est qui observet a ex non uno loco Archivij, & Registri Regij.

37 Sed pluribus immorati sumus extra Chorum; ut alicui potest videri, licet necessariò huc fuerit divertendum, ad Sacellum Aulæ Hispaniæ redeamus. Si insistere velimus eâdem viâ, quâ alij Auctores ante laudati, benè possumus ostendere illius præstantiam. Nam si hactenus in utroque Imperio Orientis & Occidentis prærogativam Sacelli Palatini, & Aulicorum Sacerdotum dignitatem ex eo indicarunt, quòd Reges & Imperatores suos Sacellanos summis Sacerdotijs ornabant, imò insignioribus Ecclesijs despondebãt, eodem no-

a Petr. Vincẽt ex M.S. de Eccles. Regal. Siciliæ, lib. 2. ex Registro Ferdinandi par. 6.

mine Sacellum Regium Regis Hispani nulli de loco concedet. Verè enim dici potest seminarium summorum Antistitum, & virorum omni dignitatum genere antecedentium. Quamvis enim Rex Catholicus decretorum Tridentinæ Synodi observantissimus, quas vocant expectativas, illius item decreto iã sublatas, ad beneficia vacatura, & quæ sunt Regij muneris, nec ipse huiusmodi expectationes sacrorum munerum cõcedat, si posit, suis Sacellanis, neque à Põtifice eliciat; adeòq; nulla illi habeant beneficia in aliquo Ecclesiastico Collegio affecta; cùm tamen Sacerdotia altioris ordinis contingit vacare, non postrema Aulicorum Sacerdotum ratio haberi solet. Planè ex Archivio Sacelli observavi solùm ab anno 1588. ad hæc nostra tempora (vetustior memoria excidit) ex Hispanis, seu, ut rectiùs dicam, ex Castellanis tantùm Capellanis quadraginta circiter Antistites factos Regum designatione, atq; insignioribus Ecclesijs præfectos, nimiiũ Toletanæ, Hispalensi, Burgẽsi. Licèt ex ijs nõnulli per gradus eò pervenerint: præterea ad Abbatias, & alias Ecclesiasticas præfecturas quamplurimos evectos. Præfuere Regio Sacello cũ summa potestate tres Indiarum Patriarchæ. Aspexit idem aliquot è suis Romanâ purpurâ indutos, Cardinales dico sanctæ Romanæ Ecclesię, quæ quia notiora sunt, quàm ut pluribus

bus scribantur; ideò restringimus in pauca.

38. Neque nullam Reipublicæ partem Regij Sacellani in hoc Imperio attingerunt; Magistratus enim politicos, neq; infimos gessere. Dedit Sacellum nostrum suo Regi, & nostrâ tempestate Cõsiliarios, viros imprimis doctos ab epistolis: dedit Senatus Aragonij Vicecancellarios; & quod in hoc hemisphærio est solstitium honoris, dedit Præsides supremo Castellæ Senatui.

39. Nihil hic subdo de Capellanis gentis Italicæ (ex quo enim, ut suprà dixi, Hispano Imperio non deterior, nec mediocris Italiæ pars accessit, in Regium Sacellum cooptantur Siculi, Neapolitani, Mediolanenses) è quibus quamplures Antistites designantur; omnes certè opimis Sacerdotijs locupletantur. Quod honorificentiæ, & liberalitatis genus tum Regis indulgentiæ, cùm supremo Italicarum rerum Senatui mente gratissimâ acceptum referunt. Summâ enim curâ provident Patres illi, ut Sacerdotes, qui in Aula rem divinam fecere extorres patriâ, sumptu fatigati tandem natali solo tanquam postliminio reddãtur; & quidem summâ aliquâ dignitate condecorati, uti par est, Sacellanis eius Regis omnium quot sunt, fuerunt vel maximi. De qua re quoties Senatus (loquor ex antiqua formula) ita censet in suis consultationibus, Rex iubet.

Vnde

Vnde nostra sodalitas Palatina semper fuit in clientela huius supremi Senatus; quo favitore eius dignitas multum fuit amplificata. Nec minora beneficia sibi in posterum pollicetur; cùm is amplissimus ordo constet Senatoribus clarissimis, integerrimis, & Reipublicæ tam amantissimis, quàm in eadem versatissimis. Ac nisi animos ab omni fastu alienos offendere vererer, propria uniuscuiusque ornamenta delinearem. Licèt anceps hîc mihi locus, atque lubricus esset; cùm quid potissimùm attendere deberem mihi pariter esset ambiguū: illudne quod virtuti deberetur, iusta inquam ipsius prædicatio? An quod aures modestissimæ ferre possunt? Hoc unum saltē æqui bonique cōsulam (quod neque mihi inuret notam hominis blandientis, & palpum obtrudentis) si singulos suo tantùm, nudoque nomine appellavero; cæterùm posteritati satis commendatos, non uno titulo: quâ enim animi dote non ornantur, quâ litterarum supellectile non instruuntur Iurisconsultorum eruditissimi, eruditorum Iurisconsultissimi? Illos recenseo suo ordine, & quo ad hoc honoris solstitiū pervenere: atq; hi sunt (cave meliores putes in tota Hispana Monarchia) præter Excell. Præsidem Comitem de Monterei Præsidem, & Ducem Medinæ-Turritæ Thesaurarium generalem cum Præsidis prærogativa, D. Ioannes Baptista Valençuela

Ve-

Velazquez, D. Ioseph de Neapoli, meus avũculus, D. Alphonsus Guillen de la Carrera, D. Stephanus Torresilla, Ferdinandus Brancia. Atque à secretis Regis maximi in eodem supremo Senatu viri lectissimi, & ornatissimi Laurentius Pater, & D. Inicus Filius * Eques S. Iacobi, de Aghirre, Aloisius Mattiensus, D. Antonius Carnero: quibus arcana quælibet huius Imperij tutò concredantur: tanquam in armario recondita ibi invenies, & resumes ubi depofueris.

*Qui 26. suę ætatis anno patri adhuc viventi successit &verã fecit dissertationem meã 15 ex Parallelis Ethicis & Iuridicis.

40 Hinc fit, ut PHILIPPVS IV. Rex Maximus, quia Optimus haud sit mediocriter propensus ad Sacellanos Aulicos omni honorum genere exornandos: quod quoties efficit, toties Avum Prudentissimum Philippum II. ipsius vestigijs persequitur. Ille quippè dum vixit, egregius fuit fautor, & amplificator Regij Sacelli. Vnde fiebat, ut cum voluntate propensissima ferretur in Sacerdotes Palatinos, qui ipsi erant à Domesticis sacris, eosdem manu duceret ad Ecclesiasticas quasque præfecturas; imò licèt Aulâ egressos, novis semper beneficijs adaugeret. Hinc etiam veram fecit eam sententiam: *Testamenta hominum speculum esse morum*, id est vitę anteactæ; quę, licèt vulgò iactata, infirmatur tamen à non nemine [a]. Philippus enim morti proximus supremis testamenti tabulis Capellam & Capellanos præ cęteris Aulicis

a *Plin. Iun. lib. 8. ep. 18.*

licis Philippo III. [a] filio cōmendavit. Huius legis (est testamentum lex privata) atque moris getilitij retinēs est PHILIPPVS IV. qui præterea aliam legē servat, licèt legibus [b] solutus, & supra leges. Eam tulit, & præscripsit in Hispanijs [c] Alphōsus Legislator in ea verba patrij sermonis: *Otro si diximos, q̄ el Rei deve amar, è honrar a su Capellan, faziendole bien, è honra, como à home que es su Confessor, è medianero entre Dios è el.* Id enim in dies præstat Sacellanos sæpissime dimittens honoribus, & opibus cumulatos.

41 Verùm nos Aulici Sacerdotes (sodales meos alloquor) ne officij nostri obliviscamur. Nam lex eadem nobis autem vellit: eius particula nos tangit: nostri muneris nos admonet. Cùm enim inter utramque maiestatem divinam, inquam, & humanam internuncij constituamur, proxenetę, feciales; ad divinam preces adhibere debemus continenter, ut humanā servet felicem, & diutinam. Quamobrem, ut oratione parænetica universam dissertationem concludam, beneficijs Regijs ad cæleste Numē effusis precibus respondeamus. Nisi si velimus Regem lege agere, qui eam sibi imposuit benè nobis faciendi. Deprecemur Regi nostro Catholico, Orthodoxæ fidei assertori hostes devictos, perduelles debellatos, quàm Imperij amplitudinem, tam vitę diuturnitatem. Nam si

a Cap. testamēt. Philippi II. in lib. Capellæ.

b l. 1. D. de constit. Princip. l. 4. Cod. de legib.

c Lib. 3. tit. 2. par. 9.

si sacra Biblia, Cõcilia [a] Orthodoxa, Religionis Christianæ Apices & Antistites ad huius officij munus omnes omnino Sacerdotes instruxerunt (ut alibi dicemus, si modò Deus annuat) hoc maximè est nostrarum partium, & ad nos pertinet Sacerdotes Aulicos, Sacellanos Palatinos, Regi Catholico à domesticis sacris eius muneris colendi, efficiendique causâ præcipuè designamur, dum in Aula sacris ministerijs addicimur. Aspiret nostri precibus cæleste Numen flante aurâ sanctissimi, & saluberrimi cõsilij, ut quicquid PHILIPPVS IV. Rex Maximus (quod voti caput habeamus) sive domi, sive foris agit, id totum commodo Reipublicæ cedat, & bono Christiani Orbis velificetur; ipsi liceat annare, & perennare diutissimè. Interea VIVAT, VALEAT, VIGEAT bonis omnibus.

[a] *Cõcil. Arelat. IV. Turonense III. Cabilon. II. Remens. Parisiens. Mogũt. Cæsaraug. III. Tolet.*

## *DIPLOMA PONTIFICIVM Pauli Papæ V. concessum Capellæ & Capellanis Regis Catholici; ad quod impetrandum Philippus III. è Capellanis Romam allegavit Petrum Fernandez de Navarrete, virum doctissimum, & omni litterarum genere instructissimũ, deque Hispana Monarchia optimè meritum, Regibus Catholicis, & serenissimo Infanti Ferdinando à Secretis.*

# PAVLVS PAPA V.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

CHARISSIME in Christo fili noster, salutem & Apostolicam benedictionẽ. Pijs Catholicorum Regum votis, per quæ divinus cultus augeri, & ministrorum Ecclesiasticorum, præsertim Capellarum Regiarum servitio adscriptorum, status ad Dei gloriã tranquillè, & rectè dirigi, & gubernari valeat, libenter annuimus, ac privilegijs & indultis communimus, & aliàs disponimus, prout cõspicimus in Domino salubriter expedire. Itaque vestigijs Romanorum Pontificum predecessorum nostrorum inhærentes, ac supplicationibus Maiestatis tuæ nomine, nobis humiliter porrectis, inclinati eidẽ Ma-

iest. tuæ, ut Archiepiscopus Compostellanus pro tempore existens, cui sicut ex insinuatione eiusdem Maiestatis tuæ nomine nobis nuper facta, accepimus, cura Regiæ familiæ tuæ, consanguineorum, affinium tuorum, ac omnium personarum in Curia tua pro negotijs confluentium & commorantium, ipsamque Curiam sequentium, tanquam Capellæ tuæ Capellano maiori ex indulto Apostolico, aut antiqua, & immemorabili consuetudine incumbit, in quibusvis civitatibus, oppidis & locis, in quibus dictam Maiestatem tuam, tuamque Regiam Curiam pro tempore residere contigerit continuè, vel ad tempus, curam animarum familiæ tuæ, omniumque, & singularum personarum, tam ex tuis Regnis, & dominijs originem trahentium, quàm extraneorum curialium, ac dictam Curiam sequentium, cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis, ac præeminentiæ existentium, tam Ecclesiasticorum, quàm secularium (Archiepiscopis & Episcopis exceptis) exercere, earùmque Rector nuncupari, easque corrigere & visitare: ac in easdem omnimodam iurisdictionem ordinariam, omniaque & singula alia, quæ Archiepiscopi & Episcopi, ac alij locorum ordinarij in diœcesibus suis de iure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet facere, & exercere consueverunt, ac per se, vel alios ministros suam iurisdictionem ordinariam exercere, necnon ministros & officiales necessarios ad exercendam Apostolica auctoritate huiusmodi omnimodam iurisdictionem, tam Curiæ Palatij, quàm uti iudex Capellæ huiusmodi, & aliorum prædictorum, qui ab eo, & eius mandato nominati exerceant eorum officia, & iurisdictionē suam, tam in causis familiarium, Capellanorum, servientium oratorijs Capellæ, Cantorũ, & ministrorum, & laicorum eiusdem Capellæ, quàm aliarum personarum, quarumcunque nationum tibi servientium,

ac

ac personarum Regalium, & Regiæ prolis, in illos tātum, qui verè sunt curiales, necnon Capellanorum in ruralibus, domibus, seu Palatijs tuis existentium, nominare, necnon per se, aut ministros suos, confessores regulares de licentia suorum superiorum, aut seculares pro cura animarum dicti Palatij, & Curiæ nominare Capellanos; & Clericos servientes tibi, & domui Regali in dicta Capella & oratorio ad celebrandum Missas, & confessiones audiendas, ac verbum Dei prædicandum examinare, seu examinari facere, & eis id faciendi, licentiam & facultatem dare, ac etiam Prædicatores regulares, aut seculares in dicta Curia, vel extra eam ad prædicandum verbum Dei in Capella Regia & domo, ubi tu, & Curia tua erit, ita ut nullus Ordinarius loci, in quo dicta Curia, seu tu, aut domus tua erit, sive eundo, sive stando, sive & recreationis causa prædicationem verbi Dei impedire possit convocare. Insuper, Capellanos, Cantores & scholares in dicta Capella pro tempore existentes, propter iniectionem manuum violentarum inter se ipsos, ac etiam in Clericos de dicta Capella non existentes, citra tamen membrorum mutilationem, aut enormem læsionem, excommunicationis sententiam incurrentes, ab eadem sententia satisfactione prævia, & iniunctis iniungendis absolvere, & cum ipsis super irregularitate, si quam huiusmodi sententijs ligati Missas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium celebrando, aut illis se immiscendo, contraxerint, dispensare, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, sive notam, per eos propterea contractam abolere, Infantes, Turcas & Saracenos, qui in præsentia tua ex quavis causa pro tempore baptizabuntur, baptizare. Ac tibi, & tuis filijs, reliquisque in domo tua pro tempore servientibus & residentibus, alijsque

dictæ Curiæ Curialibus, Pœnitentiæ & Eucharistiæ; ac alia Sacramenta, etiam in festo Resurrectionis D. N. Iesu Christi, absque alicuius licentia ministrare, seu ministrari facere. Necnon idem Capellanus maior, te, & omnes Curiales, & quoscumque alios Curiã sequentes tuam ab omnibus & singulis delictis, excessibus & criminibus, etiam casibus Episcopalibus iniunctis iniungendis absolvere, & interdicti tempore Ecclesiasticæ sepulturę tradere. Quodque pro se, & alijs Capellanis prædictis in quacumque Ecclesia & ordinum fratrum Minorum, ad quam te pro tempore declinare contigerit, dummodo in ea ipsi Capellani, & Cantores divina officia celebrent, & cantent, oblationes, etiamsi de manu tua, tuorumque filiorum, seu filiarum procedant, prout in dicta Regia Capella recipere. Necnon quæcumque matrimonia, quę in præsentia tua contrahētur, solemnizare, ac prædictus Capellanus maior in Episcopali dignitate cõstitutus tantũ, omnibus & singulis interessentibus Missarum solemnijs, & verbi Dei prædicationi in tua præsentia verè pœnitentibus & confessis, ducentos dies de iniunctis eis pœnitētijs misericorditer in Domino in forma Ecclesiæ consueta relaxare, utque omnium, & singulorum Christi fidelium in Curia tua, ubicũque residebis continuè; vel ad tempus, pro tempore commorantium, per se, vel aliũ, seu alios per eũ ad id deputãdos à suo, si Curiales nõ fuerint, Ordinario approbatos confessiones audire, eosq; a peccatis absolvere iniunctis ijsdē pro commissis pœnitētia salutari, ac alijs iniungendis. Necnon tam ipse, quàm ab eo deputatus presbyter secularis, vel cuiusvis ordinis de suorũ superiorũ licentia, regularis pariter à suo, si nõ fuerit Curialis, Ordinario approbatus, omniũ & singulorũ in hospitali Curiæ tuæ existentium confessiones similiter audire, eisque Sacramenta Ecclesiastica ministrare,

& in

& in mortis articulo omnium peccatorum suorũ absolutionem iniunctis pariter iniungendis, impendere, ac parochialem Ecclesiam viciniorem Palatio, ubi te pro tempore morari contigerit, & si fuerint duæ parochiales Ecclesiæ æquè vicinæ dicto Palatio, alteram quam maluerit eligere, in eaq; tã Capellanus maior, quàm persona ab eo ad animarũ curam deputanda liberè ingredi, & ex inde Sacraméta prædicta accipere, & sibi subditis ministrare, ac ad infirmos Curiæ tuæ deferre, & monitiones matrimoniales suorum subditorũ, iuxta decreta dicti Concilij publicari facere, eosq; matrimonio, sine tamen præiudicio iurium parochi, coniũgere. Præterea si eidem Capellano maiori videbitur, considerata decẽtia, & necessitate, sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum, & Extremæ unctionis in Capella Regia, ut ad infirmos, & infirmas in dicto Palatio existentes commodiùs deferatur, & multis incõmodis, quæ aliàs nasci possent, obvietur, reponere liberè & licitè, & absq; ullo conscientiæ scrupulo, aut censurã Ecclesiarũ incursu valeat, licentiã, & facultatẽ auctoritate Apostolica, tenore præsentiũ, cõcedimus, & indulgemus. Ad hæc, ut quicumq; locorũ diœcesani, & alij Ordinarij iudices in maiorẽ, & Capellanos, Cantores, & scholares prædictos actu inservientes, & consueta stipendia percipientes, quos ab illis prorsus, & omnino eximimus, & totaliter liberamus, & quoad maiorem sedi Apostolicæ immediatè, quoad alios verò Capellanos, Cantores & scholares huiusmodi dicto Capellano maiori subesse decernimus, nullam penitus superioritatem, dominium, & iurisdictionem exercere, nec se de illis quomodolibet intromittere valeant, sed prædicti Capellani, Cantores & scholares corã ipso Capellano maiori, seu legatis, aut delegatis dictæ Sedis dũtaxat teneãtur de iustitia respondere. Insuper, ut Capellani, Cãtores, & scholares

ſerviẽtes prędicti à quocunque maluerint Catholicō Antiſtite gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ habẽte, ordines ſacros ſtatutis ad id à iure tẽporibus ſucceſsivè accipere, dictique Capellani & Religioſi, Miſſas, Horas Canonicas, & divina Officia etiam te abſente, iuxta tamen ritum Rom. Curiæ, & in dicta Capella tantùm, tam alij Capellani, quàm Cantores, & ſcholares, dicere, recitare & canere, eaſdemq; horas Canonicas, ex cauſa tamen, & infra diei terminũ, ac privatim, non autem in ipſa Capella anticipare, & poſtponere, ac in feſto ſanctiſsimi Corporis Chriſti, & per eius octavam ſanctiſsimum Eucharistiæ Sacramentum in eadem Capella cum debitis reverentia & honore tenêre, ac in quinta & ſexta maioris Hebdomadę ferijs idem ſanctiſsimum Sacramentum in dicta Capella in ſacrario, ſive urna reponere, & ad morem patriæ monumentum, ſeu tumulum nuncupatũ, cum luminaribus facere & tenêre, necnon coram te Miſſas, & antequàm elucescat dies, circa tamen diurnam lucem, ac per unam horam poſt meridiem celebrare. Quodque perſona loco Archiepiſcopi Compoſtellani Capellani maioris, ut infrà deputanda, necnō triginta ex Capellanis prædictis, non tamen Præbendas Theologales & Pœnitentiales obtinẽtes fructus, redditus & proventus quorumcunque beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, etiam ſi Canonicatus & Præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia fuerint cum ea integritate (diſtributionibus quotidianis exceptis) percipere poſsint, cum qua illos perciperent, ſi in eiſdem Eccleſijs perſonaliter reſiderent, nec ad reſidendum interim in eiſdem teneatur, auctoritate, & tenore ſimilibus etiam concedimus. Inſuper ut Chriſti fideles Curiales tui de licentia ipſius Capellani maioris dumtaxat quemcunque idoneum presbyterum ſecularem, vel cuiuſvis ordinis

regu-

regularem approbatum ab Ordinario, si Curialis non fuerit, in suum possint eligere confessorem, qui eorum confessionibus diligenter auditis, eos à peccatis absolvere, & pro commissis pœnitentiam salutarē, & alia iniungenda iniungere, & Sacramenta prędicta, etiam in die festo Resurrectionis Dominicæ ministrare possit, utque Capellani, Cantores, & aliæ Ecclesiasticæ personæ deputandę ad informationes faciendas super puritate sanguinis admittendorum in Capellam huiusmodi, testes per censuras Ecclesiasticas compellere possint, iuxta sacrorum Canonum dispositionem auctoritate, & tenore prædictis pariter indulgemus. Atque hæc omnia & singula moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo Compostellano, tanquam dictæ Capellæ Capellano maiori, quandiu, & quoties in dicta Curia personaliter resederit, & eo ab eadem Curia absente, seu in illa non residente, personæ in presbyteratus ordine constitutæ per te toties quoties tibi visum fuerit nominandæ, & per suum Ordinariū approbandæ, qua Nos ex nūc, prout ex tunc postquàm per te nominata, & à suo Ordinario approbata fuerit, deputamus & approbamus, quæ durante absentia dicti Archiepiscopi in Curia prædicta in quibusvis civitatibus, oppidis & locis, in quibus te, tuamque Curiam Regiam pro tempore residere cōtigerit, omniaque, & singula alia, quæ Archiepiscopi & Episcopi, ac alij locorum Ordinarij in diœcesibus suis de iure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet facere & exercere consueverunt, citra tamen exercitium Pontificalium, & ordinum, ac beneficiorum collationem, exercere liberè & licitè, quodque omnibus & singulis gratijs, favoribus, præeminentijs & indultis, quibus dictus Archiepiscopus, dum in tua Curia residet, ratione dicti officij Capellani maioris gaudet, fruitur & utitur, ac gaudere, uti, & frui quomodolibet,

poteſt gaudere, uti frui poſsit, & valeat pariformiter, & æquè perſonaliter, ac tibi perſonam huiuſmodi nominandi, & eligendi plenam & omnimodam facultatem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Præſentes quoque litteras de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidati nullatenus poſſe, ſed illas validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ſicque, & non aliter per quoſcunque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales ſublata eis, & eorũ cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritũ, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Quo circa venerabilibus fratribus Segoviẽſi & Abulenſi Epiſcopis, ac dilecto filio noſtro, & ſedis Apoſtolicæ in Regnis Hiſpaniarum Nuntio per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, & aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, quoties pro parte Maieſtatis tuæ, ſeu alicuius ex Capellanis, vel Cãtoribus, & ſcholaribus prædictis fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, tibique, & illis in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes, faciãt auctoritate noſtra Maieſtatem tuam, ac Capellanos, vel Cantores, & ſcholares prædictos præmiſſorũ omnium, & ſingulorum effectu pacificè frui & gaudere, non permittentes Maieſtatem tuam, aut illos deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari, cõtradictores quoſlibet, & rebelles, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Non

Non obstant. cōst. fœl. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem, vel diœcesim, nisi in certis causis, & certis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium evocetur, & de duabus dietis in Cōcilio generali editis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudiciū non trahatur, ac alijs constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis statutis & consuetudinibus, etiā iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitatis alia roboratis, privilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, per quoscunque Romanos Pontifices etiam prædecessores nostros, ac nos, & dictam Sedem, & per viam generalis legis, ac statuti perpetui, ac motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam cum quibusvis irritantibus, annullativis, cassativis, revocativis, præservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis quomodolibet, & plures concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut exquisita forma servanda foret, & in eis caveatur expressè, quòd illis nullatenus derogari possit illorum, ac omnium & singularū litterarū prædictarum tenore præsentibus pro sufficienter expressis, ac ad verbum insertis, necnon modos & formas ad id servādas pro individuo servatis habētes hac vice dūtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris harū serie specialiter, & expressè derogamus contrarijs quibuscūq;. Volumus autē, quod præsentiū litterarū trāsumptis manu alicuius notarij publici subscriptis,

&

& sigillo alicuius personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ubique in iudicio, & extra illud, quę præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvij. Februarij. M.DCXIV. Pontificatus nostri anno nono. *S. Cobellutius.*

*MVLTA poterant adduci in explicationem huius nostri Pontificij diplomatis: ea prateriij, ne viderer antevertisse consilium doctissimi viri ex nostris, qui ad idem illustrandum luculenta commentaria promittit. Quamvis non potuerim in meo opere nonnulla omittere, qua maximè pertinent ad duo pracipua capita eiusdem privilegij Pontificij; ad exemptionem, inquam, à potestate & iurisdictione Episcopi diœcesani, quod est primum: & ad veniam assiduitatis, id est, dispensationē residentia in beneficijs, qua assiduum requirūt beneficiariū, quod est alterum.*

*Subijcio hic etiam quendam quasi indicem diplomatum similium, qua Pontifices Romani aliorum Regum Capellis & Capellanis concessere ad hac duo, qua dixi, pracipuè assequenda.*

*Quod facit ad primum caput, Leo X. idem indulsit Capella & Capellanis Regum Lusitanorum.* a *Bullam ipsam refert* Cabedus de Patronatu Regiæ Coronæ cap. 43. *qua Capella Regia, & Capellani subduntur iurisdictioni solius maioris Capellani & Legati Apostolici. Circa quam tamen extant restrictiones & declarationes Regis Emanuelis; de quibus loquitur* Novella Regni part. 2. tit. 4. l. 1. 2. 3. 4. & vide in eadem par. 2. extravag. pag. 87. *ubi fit mentio similium Bullarum eiusdem Leonis X. Clementis VII. Iulij III. Pij IV.*

a *Die 26. Iulij anno M.DXV.*

*Idem Pontifex petente Carolo V. Capellam Neapolitanam, & eiusdem Capellanos adversum iurisdictionem ordina-*

*nariam munivit simili diplomate die ij. Novembris, anno 1519. subiecitque maiori Capellano præter alias facultates, quas eidem concessit. In eodem fit mentio aliorũ privilegiorum, quæ eisdem concessere Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Iulius II.*

*Capellæ Regiæ sacri Palatij Panormitani cõcessam fuisse similem exemptionem ( qua Capellani etiam eximuntur ab ordinaria iurisdictione ) à Rogerio primo Siciliæ Rege, sed auctoritate Apostolica sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ad id sibi concessa asserunt Canonici eius ædis Palatinæ, quæ S. Petri nuncupatur. Rogerij diploma est subscriptum IV. Kalendas Maij anno M.CXI. alia etiam ostendunt subsequentium Regum privilegia Capellæ Regiæ favorabilia. Sed Capellæ sacri Palatij Panormitani mentionem crebram fieri in tabularijs Regum Siculorum millies observasse scribit in suo manuscripto de Ecclesijs Siculis* a *Petrus Vincentius.*

a *Lib. 2. de Eccl. Sicil.*

*Capellam & Capellanos Regum Gallorum exemit etiã à potestate ordinaria Episcopi Parisiensis, & Archiepiscopi Senonensis Ioannes XXII. anno 1317. unde Aulæ Franciæ Sacerdotes, necnon Regij Consiliarij, amanuenses & familiares eorundem Regum, qui in Aulicis officijs, & comitatu versantur; Abbatem S. Genovefæ agnoscunt suarum litium iudicem & disceptatorem.* Lege Rhenatum Coppin, lib. 2. de sacra Polit. tit. 5. num. 5. *Hinc Capellas Regias esse omnino exemptas tradidit pro re nõ controversa* Paulus Fuscus de visitatione lib. 2. cap. 11. *ad has & similia privilegia respexit.*

*Quod facit ad alterum caput nostræ Bullæ, veniam nempè absolutatis in beneficijs; similia indulta observavi aliorũ Regum Capellanis concessa. Pro Capellanis Regum Neapolitanorum extant Bullæ Pontificum Benedicti XI. anno I. sui Pontificatus, & Ioannis XXIII. anno VII.* apud P. Vincentium in M.S. de Eccles. Regni Siciliæ lib. 2.

*Idem indulsit Capellanis Aulæ Lusitanæ Leo X. anno 1525.*

*1525.& extendit ad beneficia curata,quibus provideri vo-luit Vicario. Extat apud* Cabedum de Patronatu Regiæ Coronæ cap.43.

*Idem privilegium irrogarunt Clericis omnibus Aulæ Gallicæ Clemens VI.datum Avenione anno Christi 1341. Pontificatus 9. & anteà concesserat Ioannes XXII. anno etiam Christi 1317. sui verò Pontificatus 1. Quo privilegio an hodie etiam fruantur cùm immutata temporum ratione mutatum etiam sit Aulæ ministerium, disputat* Rhen. Coppin.lib.3.de domanio,tit.ult. num.9. *ubi exscripta habes antedicta diplomata: & vide etiam* Carol.de Grassal. lib.2.de Regal.Franciæ tit.29. Gaym.in pragm. sanction.gloss.quo quisque tempore debet esse in choro. *Capellani eiusdem Regis apud Cenomanos simile privilegiũ ostendunt concessum à Clemente VI.anno 1342.lege* Rhen. Coppin.lib.3.de sacra Polit. num.21. similem Pij II. refert gloss.Pragmat.in tit. qualiter *horæ* Canonicæ.

*Præterea Capellanis Aulæ Neapolitanæ fuit indultum, ut ipsis essent affecta, & reservata beneficia quædam, licèt nõ essent Regij Patronatus. Ita ex tabularijs Regum observat* P. Vincentius in M.S.lib.2. de Eccles. Regn. Siciliæ.

*Ex quo etiam observavi eosdem donatos fuisse stipendio duodecim tarinorum in singulos menses: qui nec aureum quidem Castellanum conficiunt. Fuit perexiguum nisi cõditionem temporis attendamus. Quo etiam D. Thomas Theologorum Princeps cùm in Neapolitana Academia Theologiam explicaret in singulos menses stipendium unius unciæ lucrabatur, quæ triginta tarenis constabat; qui simul viginti quatuor regales Castellanos conficiunt.* Ex eodem P. Vincent.

*Capellanis etiam Regum Gallorum sunt itidem affecta in quolibet Ecclesiastico Collegio sex beneficia vacatura, ut diximus capite 7. sed cum cautionibus, quas affert* Rhenat. Coppin.lib.2.Monasticõn tit.3.n.21. *Quod etiam annuente Eugenio IV anno 1434. & Paulo III. anno 1538. fuit*

*fuit concessum Consiliarijs & Senatoribus eiusdem Aulæ:* idem lib.2.de Domanio, tit.10.num.16.& 17. *Sed fructus Ecclesiarum vacantium ibidem Aulæ Sacerdotibus esse attributos*, refert lib.1.de sacra Polit.tit.7.n.4.& 15.

*Nec longè digrediar ab instituto, si recensuero summa capita diplomatis Pōtificij, quo S.D.N. Vrbanus Papa VIII. suos Capellanos multis prærogativis ornavit, licèt sint cōcessæ personis. Subscriptum fuit 20. Maij 1624. Pontificatus anno 1. eas breviter referā. Et licèt Rotæ Romanæ Auditores non cessent fungi suo pristino munere, ut suo loco diximus, adiuvandi scilicet summum Præsulem cùm publicè sacris operatur: hi tamen hodie in privato Aulæ Pontificiæ Sacello sacra mysteria peragunt.*

*Porrò illis primùm impertit:* Absolutionem à quacūque censura. II. Protonotarios creat, & Comites Palatinos. III. Concedit privilegia, quibus fruuntur nobiles in assecutione beneficiorum. IV. Nobiles Romanos creat. V. Eximit à decimis, & alijs tributis. VI. Dispensat ad duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis. VII. Liberat à residentia beneficiorum, sed si non habeant curam animarum. VIII. Dat indultum audiendi & docendi leges: necnō Iudicis, Advocati, & Procuratoris officium exercēdi. IX. Eligendi sibi Cōfessorem approbatum, qui valeat eos absolvere etiam à reservatis ipsi Pontifici. X. Cōmutandi vota. XI. Transferendi pensiones etiam in mortis articulo usque ad summam 200. ducatorum.

*Quæ omnia latiùs continentur in ipso diplomate: & fuit concessum die 20. Maij anno 1624. Pontificatus primo.*

IN

# INDICES DVO, PRIMVS CONTINET CAPELLANOS ET ARCHICAPELLANOS, DE QVIBVS MEMINIMVS; ALTER SVMMOS

Capellanos Regis Catholici, & Capellanos insigniores eiusdem Aulæ, quorum memoria non extabat.

*NVMERVS ROMANVS DENOTAT Capita, in quibus de ijsdem meminimus. Arithmeticus verò annum Christianum, quo plus minus vixêre. dico plus minus: nam in quibusdam nolim Lector exigat exactissimam temporis rationem.* Anno Chrif.



Egin-

| | | Anno Chr. |
|---|---|---|
| III. | Eginhardus Caroli M. Cancellarius, Gener, Archicapellanus. | 780. |
| IV. | Episcopi duo Marsicanus & Troianus Capellani Regum Neapolitanorum. | 1342 1407 |
| VI. | Etherius Capellanus, & Secretarius Caroli Magni. | 774. |
| IV. | Franciscus Petrarcha Capellanus Ioannę Neapolitanorum Reginæ. | 1343 |
| IV. | Fulradus Capellanus, Legatus, Consiliarius, & amicus Regis, necnon Dux copiarum. | 755. |
| VII. | Georgius Cyprius Græci Imperatoris Capellanus, deinde Patriarcha Constantinopolitanus. | 1280 |
| VII. | Godelfadus Capellanus Caroli Calvi, deinde Episcopus Cabilonensis. | 848. |
| III. | Grimoaldus Archicapellanus Ludovici Regis, qui Pij filius. | 840. |
| | Gifredus de Anagnia. } *Capellani, & Nuncij Apostolici.* | 1278 |
| IV. | Guido Novavillanus. } *Capellani, & Nuncij Apostolici.* | 1280 |
| | Gulielmus Matisconensis. } *Capellani, & Nuncij Apostolici.* | 1278 |
| | Gulielmus Durante. } *Capellani, & Nuncij Apostolici.* | 1278. |
| III. | Hilduinus Archicapellanus Ludovici Pij. | 820. |
| IV. | Hilduinus Capellanus & cōsanguineus Locharij Lotharingiæ, quæ olim Austrasia, Regis. | 840. |
| III. | Hildebaldus Archicapellanus Caroli Magni, & Archiepiscopus Coloniensis. | 813. |
| VII. | Ioannes Presbyter Capellanus Andronici Imperatoris, deinde Patriarcha Constantinopolitanus. | 1320 |
| III. | Ioseph Archicapellanus, in præfatione Concilij Ticinensis. | 855. |
| IV. | Incertus Capellanus Caroli Magni, sed eiusdem consanguineus. | 755. |
| VI. | Incertus eiusdem Capellanus, sed nobilissimus. | 711. |
| IV. | Ioannes Vveldehusenius Episcopus Bolnēsis, & Præfectus Ordinis Dominicani Capellanus P.R. | 1249 |
| IV. | Lambertus Idæ, Gotfredi Bullioni matris Capellanus. | 1096 |

Lu-

| | | Ann. Chr. |
|---|---|---|
| VI. | Ludovicus Capellanus & Secretarius Caroli Calvi. | 845. |
| IV. | Meliteniotes & Metochites { Capellani Michaelis Imperatoris. | 1278 |
| IV. | Oddo de Salas Archiepiſcopus Piſanus, Capellanus Roberti Regis. | 1314 |
| IV. | S. Otto Henrici Imperatoris Cancellarius & Capellanus, Epiſcopus Bambergenſis. | 1100 |
| IV. | Paulus Diaconus Capellanus Caroli Magni. | 780. |
| IV. | Raimundus Pignafortius Capellanus & Pœnitentiarius Pontificis Romani. | 1234 |
| IV. | Ranulphus Capellanus Gulielmi II. Angliæ Regis. | 1080 |
| IV. | Robertus Capellanus Idæ Comitiſſæ, & matris Gofredi Bullionij. | 1096 |
| IV. | Theophanes Capellanus Baſilij Imperatoris, Cæſareę Epiſcopus. | 878. |
| VII. | Thiothus Epiſcopus Baiocenſis, Capellanus Caroli Calvi. | 843. |
| IV. | Turſtinus Regis Angliæ Capellanus, Archiepiſcopus Eboracenſis, quem pręceſſerat. | 1120 |
| IV. | Thomas eiuſdem Regis domeſticus Sacerdos, ut eum appellat Polyd. Virgil. lib. 10. hiſt. Angl. | 1111 |
| IV. | Vbertus Pactenſis, & Liparenſis Epiſcopus Regis Neapolitani Capellanus. | 1392 |
| IV. | Vvenilo Capellanus Caroli Calvi, deinde Archiepiſcopus Senonenſis. | 830. |
| VII. | Vvigibertus S. Henrici I. Imperatoris Capellanus, deinde Merſpurgenſis Epiſcopus. | 1005 |
| VI. | Vvippo Cunradi Salici, cuius vitam ſcripſit, Capellanus. | 1024 |

S PRAE

## PRAETEREA EX CHRONICO EPISCOPORVM MINDENSIVM Archicapellanos aliquot collegi: de quibus quia in meo opere non memini, eosdem extra ordinem subijcio.

| | |
|---|---|
| ARIBO Archicapellanus Conradi Salici. | 1029 |
| Bardo Archicapellanus Henrici Tertij Imperatoris. 1133 | 1039 |
| Bruno Archicapellanus Ottonis Magni. | 961. |
| Leopoldus Archicapellanus Henrici IV. | 1109 |
| Rodbertus Archicapellanus Ottonis III. | 994 |
| Sigifridus Archicapellanus Henrici IV. | 1100 |
| Vyilegisus Archicapellanus Henrici Sancti & II. | 1009. 1008 |

*Horum vice, & nomine Cancellarius recognoscit, & subscribit privilegia Mindensi Ecclesiæ ab Imperatoribus concessa: quod refer ad ea quæ annotavi in calce capitis tertij.*

SVMMI

## SVMMI CAPELLANI AVLAE HISPANÆ, QVOS POTVIMVS INVENIRE.

*Non recensentur Archiepiscopi Compostellani.*

SANCTVS MARTINVS Dumiensis Abbas, & Episcopus, videtur fuisse quasi Capellanus maior Miri, seu Theodmiri Suevorum Regis qui in Hispania regnavit. anno — Anno Christi. 567.

¶ *Lege notas capitis secundi.*

*Testamēti Alphō. X.* Ioannes Martinus Abbas Covarruviæ, Capellanus maior Alphonsi X, cognomento Sapientis, quem testamentarium procuratorem nominavit; eo præsertim testamento, quo vetuit cor alibi sepeliri, quàm Ierosolymis in monte Calvariæ. 1284.

*Francisc. cus Cascales in hiſtor. Murciæ p. 430. col. 1.* D. Didacus Comontes Capellanus maior Regis D. Ioannis II. Episcopus Carthaginiensis. Scripsit vitam Episcoporum suæ Ecclesiæ. obijt 1471.

D Petrus Mōtoia Episcopus Oxomensis, Hērici IV. Capellanus maior. obijt 1475.

D. Ludovicus Acugna Hērici etiā IV. Capellanus maior, Episcopus Segobiēsis & Burgēsis. obijt 1495.

*Ex Didaco à Castello.* D. Alphonsus Fonseca Capellanus maior Ioannis Secundi, Episcopus Abulensis, Archiepiscopus Hispalensis. Vixit olim in gratia Henrici IV. potuit vixisse in alterius Aula. 1450.

*Ex Didaco à Castello.* D. Ioānes Alphōsus Chirinus Abbas Cōplutensis, exercuit munus Capellani maioris in Aula Hērici IV. initio Regni; quandiu duravit cōtroversia inter Capellanum maiorem Ioannis II. & alterū eiusdem Henrici olim Principis, deinde Regis. Imò omnes utriusque Regis Capellani de loco, & prærogativa contendebant. Quinam præferendi Sacerdotes Regis mortui, an viventis? Nam prio-

tes volebant anteferri, quia antiquiores in Aula, posteriores, quia Princeps iam Regni erat potitus. Adeòque in sessione præferendi. Sedavit litem idemmet Henricus, & antiquiores in Regio famulitio, & comitatu, sive suo, sive paterno, potiores iudicavit. Verba Henrici, & momenta causæ prosequitur *Didacus Henricus Castello in vita eiusdem Regis.* Anno Christi

* Lib 2. epistol.

Accesseri potest sũmis Capellanis Fr. Alvarus Osorius Infantis Ferdinãdi (qui deinde Germaniæ Imperator) Magister & summus Capellanus. De eiusdem Principis educatione cõmẽtariũ scripsit, deque rebus gestis suo tempori.

D. Iacobus Ramirez de Villascusa Reginæ Ioãnæ Capellanus maior, Episcopus Conchensis, Asturicẽsis, Malacitanus, Præses Prætorij Pinciani. In Academia Salmantina erexit Collegium Conchẽse. Vir apprimè doctus, ut * *Lucius Marineus Siculus testatur; & utriusque mutuæ epistolæ.* Is est qui olim cùm in eo Conventu Pinciano esset Præses non ignobili coacta militum manu, & tubis undique classicum concinentibus equo vectus, & armatus Villafratrum proficisci voluit ulturus Regiã quandam iniuriam, & Reipublicæ contumeliam. obijt anno 1537.

¶ *Lege Gomez. lib. 6. de reb. gest. Franc. Ximen.*

D. Ioannes Martinus Siliceus Capellanus maior, & Preceptor Philippi Secundi, Episcopus Carthaginensis, Archiepiscopus Toletanus, S. R. E. Cardinalis. Auctor Instituti Toletani: *Ex M. S. Collegij S. Bartholomæi Salmanticensis.* 1543.

D. Petrus de Castro Capellanus maior Philippi Secundi, Episcopus Conchensis, & Salmantinus. Regem in Britanniam est secutus. Cum hæreticis acutissimè disseruit, Archiepiscopum Glostchestrensem ad fidem orthodoxam revocavit. Qui vivente Henrico Octavo cùm esset Regni Cancellarius scripserat contra potestatem Pontificis Romani; unde publicè est fassus suos errores: & libros editos collegit comburẽdos coram Legato

sedis

fedis Apostolicæ Reginaldo Polo Cardinali. Addidit præterea errores suos initiò agnovisse, sed scienter evulgasse, ut Henrico Regi morem gereret. Sed D. Petrus de Castro obijt anno 1561. — Anno Christi

*Ægid. Gonçal. de Avila lib. 3. Theatr. Eccl. c. 22. Lib. 22. cap. 50.*

D. Petrus Acosta Capellanus maior Principis D. Ioannæ, Episcopus Portucalensis, Oxomensis, Legionensis. 1563.

D. Ludovicus Manricus Philippi Secundi Capellanus ex Ambrosio de Morales; potuit vixisse anno 1564.

Garsias de Loaisa Gironius summus Capellanus Philippi Secundi, Archiepiscopus Toletanus. 1588.

D. Ioannes Gusmanius Indiarum Patriarcha summus Capellanus Philippi II. 1593.

D. Alvarus Caravajalius Capellanus maior Philippi Tertij. 1606.

D. Didacus Gusmanius Philippi Secundi Capellanus; Philippi Tertij Præfectus Regijs cortinis: eiusdem & Philippi Quarti Capellanus maior, Indiarum Patriarcha, Archiepiscopus Hispalēsis, nunc S.R.E. Cardinalis.

D. Alphonsus Peresius Gusmanius ex splendidissima prosapia Ducum Medinæ Sidoniæ, eorūdem filius: Capellanus maior PHILIPPI MAGNI, Indiarum Patriarcha, cui præterea eminētissimos quosque honores auguramur.

*Quam reliqui prensant ambit te purpura.*

## *CAPELLANI ALIQVOT AVLAE Hispanæ, quorum memoria vel perierat, vel in eiusdem albo non apparebat.*

S. EVGENIVS Tertius Archiepiscopus Toletanus antequàm cucullum indueret, potuit esse

Cindasuinthi Sacerdos Regius (*lege caput 11, in notis*) & anno Domini plus minus. 640.

Magister don Gonçalus Capellanus Alphonsi Sapientis, quem idem Rex postremis testamenti tabulis designat Abbatem de Arvas. 1284.

D. Ioannes de Tordesillas Capellanus Henrici Primi, & Ioannis Secundi; sed deinde Episcopus Segobiensis, Romam mittitur ab Hērico Tertio, 1370. anno lustrali, & 1400. Solebāt enim Castellæ Reges ad lucrandas indulgentias plenarias Iubilæi Romam Episcopum aliquem mittere: de quo more meminit *Magister Ægidius Gonçalez de Avila in historia Henrici III. prope diem edenda.*

D. Martinus Yañez Medinæ Archidiaconus in Ecclesia Salmantina, Eleemosynarius maior Reginæ Isabellæ uxoris Ioannis Secundi. 1448.

Rodericus Sancius Henrici Quarti *Capellanus*, à quo ad Paulum Secundum fuit missus gratulatū de summo Pontificatu, post præstitam obedientiā Regis nomine, Romæ deinde vixit in summa gratia apud eundem summum Præsulem: cuius Referendarius & Thesaurarius fuit, & quod est admirandum, Prefectus moli Adrianæ, vulgò *Castellanus S. Angeli*. Deinde fuit Episcopus Ovetensis, Zamorensis, Calagurritanus, Palentinus: multa scripsit, & ferè omnia dicavit eidem Pontifici: *Defensorium status Ecclesiastici Clericorum, & Prælatorum. De paupertate Christi & Apostolorum. An fine peccato fideles fugiant à locis ubi sævit pestis. De Monarchia Orbis. Reges Hispaniæ & Franciæ non esse subditos Imperatori: Reges si deliquerint, quomodo puniēdi.* Sed inter eius opera eminet *Speculum vitæ humanæ*, vulgò *Zamorensis*, colliguntur *ex ipsomet in historia quam scripsit etiam à Gothis ad Henricum IV.* 1464.

D. Martinus de Vilches, & D. Petrus de Acunia

li-

licèt non fuerint Capellani, sed Cantores Henrici Quarti, ab eodem tamen Rege designati sunt primus Episcopus Giennensis, alter Abulensis; sed legenda est historia manuscripta eiusdē Regis, quam scripsit *Alphonsus de Palencia.* 1460.

Didacus Hēricus à Castello, Historiographus, Capellanus, Consiliarius & comes Henrici IV. legenda est item historia, quam de eodem Rege reliquit manuscriptam. 1470.

D. Alphonsus Mansus Magnus Aedituus Capellę Principis D. Ioannis Regum Catholicorum filij, Episcopus primus Portorici. obijt 1530.

D. Franciscus Māricus de Lara Episcopus Salmantinus & Segobiensis: fuerat Granatæ Capellanus maior Regum; suspicor fuisse Capellanum Caroli V. nam eiusdem sacrum libenter audiebat ob oris decus. *Auctor Theatri Ecclesiastici.* obijt 1560.

Don Christophorus de Rojas Marchionis Deniæ filius, Ducis & Cardinalis Lermensis patruus, Caroli Quinti Capellanus: cuius expeditiones est secutus. Ratisbonæ designatur Episcopus Ovetensis, deinde Pacensis, tum Cordubensis, & demū Archiepiscopus Hispalensis. obijt anno 1560.

*Theatr. Eccl. lib. 2. c. 23.*

D. Hieronymus Bononius, meus proavunculus Panormitanus, Caroli V. Capellanus, deinde Episcopus Syracusanus, ut habet stemma nobilissimæ familiæ Bononiorum editum Panormi à D. Balthasare Bononio anno 1607. vixit anno circiter 1540.

Cui addo, & ex meis licèt recentiorum & viventē D. Vincentium de Neapoli, matris meæ consobrinum, qui in hac Aula Philippi Secundi & Philippi Tertij fuit Capellanus, ab hoc fuit designatus Episcopus Pactensis anno 1609. sed 1625. nominatus Episcopus Agrigentinus, à prima sponsa nō discessit: superiori verò Philippo Quarto Regi

S 4 no-

nostro potētissimo quatuor milla aureorum præstatione voluntaria refudit. sed redeo ad alios, & fere incognitos. Anno Christi

Clemens Caietanus Caroli V. Capellanus anno 1556. & Philippo filio à secretis in supremo Italicarum rerum Senatu 1561. ut habet privilegium quod mihi ostendit vir bonis artibus excultus Christophorus Salazarius Mardones depromptū ex scriniis Regijs, seu Secretario Regni Siciliæ, in quo officialis maior, ut vocant, Regi nostro fidam, & indefessam operam navat. 1561.

D. Cæsar Merullus Siculus Messanēsis Philippi II. Capellanus, Episcopus Agrigētinus, deinde Archiepiscopus Panormitanus, omniū Præsulum exemplar: cuius extant Panormi illustria pietatis monumenta. In primis seminarium Clericorum nulli in Orbe Christiano secundum: in quo adolescentes qui aluntur, & convivunt uberes reportant religionis, & sapientiæ fructus. 1580.

Benedictus Arias Mōtanus nostri seculi, & Sacelli ornamētū, Eques D. Iacobi, Philippi II. Capellanus, & Gregorio XIII. carissimus: sed rarissimi exēpli homo, nā cùm polleret utriusq; summi Principis gratiâ, & uterque honores extraordinarios offerrent, atque stipendia opulenta, paucis contētus vixit, ut sacris litteris liberiùs vacaret.

D. Henricus Hēriquez Philippi II. Capellanus, deinde fratre emortuo Comes Alvæ de Aliste Hispaniæ Magnas. obijt anno 1606.

Ioānes Baptista Azevedus Philippi II. Capellanus, Episcopus Vallisoletanus, Indiarū Patriarcha, supremus Fidei Quæsitor, Castellæ Præses.

D. Ferdinandus Azevedus Philippi II. Capellanus, Episcopus Oxomensis, Archiepiscopus Burgensis, Philippo Tertio à Consilijs Status, &

Belli

Belli, Castellę Præses. obijt anno 1625.

D. Petrus Gasmanius Philippi II. Capellanus Aragoniæ Vicecancellarius. obijt anno 1623.

Nō sine piaculo prætcrirem è nostris Luciū Marineū Siculum, Ferdinandi & Isabellæ, necnō Caroli V. Capellanū. De quo hęc cōperi post opusculū nostrū iā typis impressum. Lucius Marineus Siculus Vizinēsis Panormi commodū degebat, & lautè vivebat cùm in Hispaniā venit, suadente Federico Hērico Castellę Architalasso, qui in Siciliā iverat uxorē ducturus Annā Cabrerā, Modicę Comitissā. Salmāticę artē oratoriā, & poëticā duodecim annos docuerat; cùm à Regibus Catholicis Ferdinādo & Isabella indidē ad Aulā evocatur: in qua *statim Rex* (sunt verba Alphonsi Seguritani) *ministros & famulos litteris informandos, & Regina Palatinos Sacerdotes pleniùs instruēdos cōmendarunt.* Sed ipsum interea Historiographi & Capellani Honore decorarunt. Sic Frāciscus Guicciardinus Florentinorū Orator in cuiusdā epistolæ inscriptione Luciū vocat *Ferdinandi Regis Historicū & Sacerdotē*: & hoc ipsum munus de ipsomet Lucius testatur epistolâ ad Luciū Flaminiū Siculū: *Me praterea,* ait, *ad te scribere Palatina sacra, divinaque caremonia, quibus dies, noctesque impendo, non sinebant.* In eiusdem Lucij epistolis Capellanos aliquot habemus, quorum memoria alioqui intercidisset: ijs verò ita scribit.

*Ex Alphon. Segur. lib. 6. epist. eiusdem Lucij.*

*Francisco Henrico viro Nobili, & Sacerdoti Regio.*

*Ioanni Cortesio, Regio sacristæ maiori.*

*Francisco Fernando Rasconio discipulo suo, & Sacerdoti Regio.*

*Martino Acorpa Cisterciēsis Ordinis Equiti, & Sacerdoti Regio.*

*Martino Lupo Gamboa Sacerdoti Regio.*

*Bartholomao Albioni discipulo & Sacerdoti Regio.*

Præ-

Præterco *Iacobum Ramirũ de Villaseusa* Capellanum maiorem, de quo suprà quædam dixi: licèt pauca pro dignitate tanti viri.

An verò Lucius ad aliam evectus fuerit dignitatem, ipse epistolà ad Almazanũ Ferdinãdo à secretis ambiguum reliquerat, à quo petebat ut Regi labores suos, & ætatem cõmemoraret. Seriùs enim ad quædam Siciliæ, Canariæque summa Sacerdotia animum adiecerat, utpotè iam alijs delata. Epistolam antedictam hic transcribo.

*Siculus Almacitano Secretario Regio S.*

*Exposuit mihi Quintana tuus, vir præstantissime, te suam meamque negligentiam accusasse, molestèque tulisse quod in Siciliæ, Canariæque conferendis Pontificatibus tibi seriùs, frustraque supplicavimus. Quare etsi nihil tum culpa nostra sumus adepti, spe tamen quod pollicerϊs in posterum meliùs fore, tibi pro tua erga nos humanitate, animoque benigno gratias agimus immortales. Rursusque supplicamus, ut in beneficijs, quæ propter Hilerdæ Pontificis obitum conferenda sunt, Ferdinando Regi nostro labores meos, & ætatẽ commemores. Vale.*

Ex qua etiam annotavi Lucium Marineum licèt exterum, non tamẽ prohibitum fuisse accedere ad beneficia Hispanæ ditionis. Sed deinde donatum fuisse Sacerdotio, seu Abbatia Bordonariensi, ut ipse appellat, & in Sicilia collegi ex duabus eiusdem epistolis. Verùm Reginus Cardinalis nescio quam molestiam illi exhibebat lite motà asserens suum esse illud à Rege collatum Sacerdotium. Vnde Lucius Blascum Lançeam Siculum, & I.C. celeberrimum, sibi duxit advocatum: suamque causam summopere commendat in una ex epistolis

*Lib. 16. epist.*

 lis

lis ante citatis. In altera Lucæ Barberio tunc temporis, & nunc etiam in Sicilia satis noto (quem vocat Equitum Siculorum decus, & Secretarium Regium) quòd adversus Cardinalis potentiam suum patrocinium susceperat, gratias agit immortales. Sed sedatam fuisse eam litem non exitu sententiæ, sed morte Cardinalis, adeòque adeptum Lucium liberam beneficij Regij possessionem gratulatur eidem Gaspar Barrachinus; *Vt senectam venerandã,* ait, *honestè transigere, & fratres tuos carissimos tueri possis.* Sed Lucius Marineus Siculus quibuslibet Regijs beneficijs fuerat dignus; & Ferdinandi in primis, cuius iussu luculenta & prolixa commentaria de rebus Hispaniæ conscripsit, & de gestis Ioannis eiusdem patris Aragoniæ Regis, quæ mirum quantum Ferdinando accepta fuere; licèt censuram quandam suam apposuerit, eo nomine illustriora. Ita declarant epistolæ Lucij ad Ferdinandum, & Ferdinandi ad Lucium: & ad eundem aliæ Alphonsi Aragonij, qui Regis nothus Cæsaraugustæ, & Valentiæ erat Archiepiscopus.

*Lib. 16. cit. epist. ult.*

Ex historia eiusdem Lucij apparet, quæ esset sedendi ratio in Sacello Ferdinandi & Isabellæ: *Sedes,* inquit, *in Sacello superiores, & inferiora sedilia disponi, & ordinem hunc servari iussit* (Isabella) *ut scilicet ex altera parte primus Cardinalibus locus daretur, secundus Archiepiscopis, tertius Oratoribus, quartus Episcopis, & deinceps gradatim reliquis Sacerdotibus. Ita tamen ut antiqui novitijs præferrentur. In altera verò parte sederent Comestabiles, Almirantes, Duces, Marchiones, Comites, & item gradatim cæteri nobiles, & generosi.* Hæc Lucius in cap. *de religione Isabellæ.* Quo etiam loco tradit ab ea Regina Sacerdotes Aulicos in syllaba peccantes sæpè fuisse admonitos. Id ego retuleram ex Iusto Lipsio, & in

*Lib. 21. de reb. Hisp.*

no-

Ad pag. 88. initio batrister. notis capitis sexti, sed ipse ex Lucio narratiunculam est mutuatus.

Lucius tandem munus Regij Capellani continuavit in Aula Caroli V. & ad annum 1517. ut pateet ex eiusdem commentarijs.

Denique in gratiam religiosorum Ordinum adnotabo, cœnobitas à Sacellis Regũ olim non fuisse exclusos, & *Capellanos* nũcupatos. id generatim annotat de Benedictinæ familiæ alumnis Prudentius Sandovalius in historia celebriorum Monasteriorum sui Ordinis. Licèt non quoslibet eo honore donatos velit, sed tantùm cœnobiarchas: quos afferit solitos, Reges & castra sequi, ut Capellanos, Secretarios, Historiographos, & Concionatores agerent.

*In Monasterio S. Millan.*

Comperit etiam ex Tabularijs Regum Neapolitanorum Petrus Vincentius *in manuscripto de* Ecclesijs Regni Siciliæ, sodales aliquot Franciscanos inter Capellanos Aulæ Neapolitanæ recẽseri Regum beneficio & codicillis.

*Lib. 2.*

Drepani etiam in Sicilia, & in cœnobio Dominicanæ familiæ extat tabula marmorea cum inscriptione, qua Manfredus infans eius cœnobij sodales suos Capellanos & Confessores vocat.

*Antiqua tabula collecta à Gualtero.*

Sed maximè in Hispania Ordo Triados sanctissimæ habuit è suis alumnis, quos Reges hoc beneficio adauxere.

In primis recensetur doctor frater Simon Camargus Regum Catholicorum Consiliarius, & Capellanus maior: de quo honore voluit mihi diploma Regium exhibere vir Religiosus eiusdem familiæ. Talem etiam agnovit Ægidius Gonçalez de Avila Historiographus Regius.

*In vita S. Ioãn. de Matta & S. Felicis Valois.*

Summus Præfectus eiusdem Ordinis Consiliarius, & Eleemosynarius maior Regum Gallorum per-

perhibetur. Ex ijsdē qui præest cœnobio Fōtisbellei est Capellanus maior Sacelli Regij cōstructi in eodē suburbano.

# EX VTROQVE INDICE COLLIGE LECTOR QVOT, QVANTOSQVE VIROS DEDERINT SACELLA REGIA REIPVBLICÆ, TVM SACRÆ, CVM PROFANÆ.

Præter aliquos in Sanctorum numerum relatos,

*ID EST,*

S. MARTINVM DVMIENS. S. OTTONEM.
S. EVGENIVM III. S. RAIMVNDVM.

## DEDIT,

Pontifices Romanos.
Cardinales S.R.E.
Nuncios Apostolicos.
Patriarchas Indiarum.
Patriarchas Constantinopolitanos.
Supremos Fidei Quæsitores.
Archiepiscopos, Episcopos, & alios Præsules: quorum numerum præsertim Aulæ Hispanæ erat difficilè inire.
Regum amicos, Hispanè Privatos.
Aulæ Cancellarios.
Legatos Regum.
Duces copiarum.
Hispaniæ Magnates.
Castellæ Præsides.
Aragoniæ Viceecācellarios.
Consiliarios Status & Belli, Senatores, & Senatus Præsides.
Regum Secretarios.

¶ Paulus IV. Pontifex Romanus sub Ferdinando Catholico, & Carolo V. Sacelli Regij octo annis Sacerdos fuerat: dictus Ioānes Petrus Carafa Neapolitanus, Matalunæ Comitis filius: *Ex Theodoro Petreio Carthusiano in Chronologia Pontif Rom. anno* 1555.

IN

# INDEX RERVM.

D



I



L



S. Leo-

Pa-

R



Re-

Tem-

MATRITI,

Ex Officina Typographica Francisci Martinez.

Anno cIↄ Iↄc xxx.